





2. D. B. V.

AVSPICIIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORATVS SAXONICI HAEREDIS

ETC. ETC. ETC.

EXAMEN

LONGOBARDICAE

DOCTRINAE

DE

FELONIA

AD STATUS IMPERII

COMMVNITER ADPLICATAE

PRAESIDE

IACOBO CAROLO SPENER

IVR. D. ET P. P.

NON. OCTOBR. 1718 1719

IN AVDITORIO IVRIDICO

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET

THEODORVS DE HVYSSEN

RESPONDENS.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA GERDESIANA.



M. D. C. C. C. C.

REGIUM UNIVERSITATIS
MAGISTRUM
DN. FRIDERICI AUGUSTI

LECTORIS SAEONICI HABILIS

EXAMEN

LONGOBARDICAE

DOCTRINAE

FELONIA

AD STATVS IMPERII

COMMITTIT ADIUDICARE

JACOBO CAROLO SPENNER

IR. D. P. P. E.

NON OCTOBR. ANNO DOMINI

IN AUDITORIIS IUDICIS

PLACIDO ERDMANNI & HILFENBERGER

THEODORVS DE BAYSSEN

RESPONDENS

ALTMARCKAE. Ex Officina GERSHMANI.



VIRO

PERILLVSTRI SVMME REVERENDO

ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. HENRICO

L. B. DE HVYSSEN

AVGVSTISS. RVSSORVM CAESARI

AB INTIMIS BELLICIS ET IVSTITIAE

CONSILII ET ECCLES. COLLEG.

VVURZ. PRAEPOSITO

CET.

PATRVO ET PATRONO

MEO HONORATISSIMO

SVMMAQUE PIETATE COLENDO ET VENERANDO

PERPETVAM FELICITATEM.

philos.

90



Vetustissimi moris est, vt quicunque doctrinae ac eruditionis qualiscunque publica edunt specimina, Maecenates, patronos, aut etiam amicos circumspiciant, quorum gratiae, fauori, benevolentiaeque se suaque commendent, aut censuram eorum benignumque de commentationibus iudicium expetant. Instituti satis laudabilis, cum maxime iuuenum studia spectentur, praecipue idoneas omni ex parte adparere rationes, nemo non intelligit. Quam quis ingenii animique viribus polleat atque abundet, Maecenatibus, patronisque ipsi tamen opus est, quorum studio, auxilio, fauore prodeat in publicum, officiisque in republica obtinendis praeparetur atque demum admoueat. Decet etiam deinde reddere quandoque industriae rationes iis, qui cum fauore suo nos prosequuntur, nolunt indignis impensa beneficia. Ceterum dum patronis lucubrationes nostras offerimus, iudicia eorum monitaque nos instruere, docere, cursumque studiorum, quem donec viuunt nemo eruditionis vere amans, nedum adhuc iuuenis, plane deferere debet, porro possunt dirigere. Non vitio igitur quisquam vertit iuueni, cum vel vna earum, quas laudavi, causarum motus, patrono specimen studiorum operarumque praecipue Academicarum dicare, dedicare, atque consecrare audet. Quanto minus VIR PERILLVSTRIS aut mihi confidentiaeque meae succensebis, aut aliorum iniqua extimescere iubebis iudicia, cum
non

non simplici causa, sed omnibus illis, quarum modo mentionem
feci, rationibus impulsus ac excitatus TIBI hoc quicquid est
Academicae opellae, qua par est obseruantia, offero, **ILLV-**
STRIQVE NOMINI TVO inscribo & nuncupo. Mihi
iuueni es alterius instar patris, ex cuius ore, consiliis, prae-
ceptis, monitisque pendere mihi nunquam non fructuosissi-
mum, sed etiam gratissimum atque acceptissimum esse poterit.
Dignissimum ergo arbitratus sum futurum, si post **VENE-**
RANDVM PARENTEM MEVM TIBI praesertim profe-
ctuum meorum, assiduitatis, & qualisqualis doctrinae rationes
reddiderim, iudicioque **TVO** me meaque submiserim. Quod
argumentum dissertationis meae selegi, ad publicum imperii
statum a corruptelis variarum doctrinarum vindicandum per-
tinet. In qua causa inprimis ardua, quam ductu Praefidis mei,
Viri nobis affinis, **TIBI**que **VIR PERILLVSTRIS** summo
cultu atque obseruantia deditissimi, nec simplici, quod suo
nomine me iubet testari, beneficio **TIBI** obstrictissimi, bene-
ficio versatus, & an commode in ea tractanda ingenii mei vi-
res exercuerim, **TVI** erit iudicare ac decernere. Praeterea
patrocinium **TVVM**, quod huc vsque non vno nomine mihi
praestitisti, occasione hac publiceque venerari & mei officii &
pietatis meae duxi esse. Quod proinde tantis auctoratus di-
gnissimis argumentis **TIBI VIR PERILLVSTRIS** submis-
sio dico confecroque exile litterarium munusculum, serena fron-
te accipe, beneuolaeque mente complectere. Perge quo coe-
pisti benignissimo fauore, affectu, amore me prosequi, studio-
rumque meorum perpetuum agere patrocinium: saltem in in-
dignum collata beneficia nunquam deprehendes, & perpetuo

(2

TVI

philos.

TVI cultu demereri, maximisque perpetuo gratiis agnoscere benevolentiam, curam, benignitatemque TVAM quo maxime potero studio satagam. Quod est reliquum, TE summum numen Augustissimo, cuius consiliis assistis, summaque gratia flores, Caesari, deinde rei publicae, quam multis immortalibusque meritis TIBI obstrinxisti, deinde bonis maximeque doctis omnibus, in quorum magnis semper fuisti desideriis, deinde familiae domuique nostrae, cuius summum decus, ornamentum & praesidium semper egisti, denique mihi fortunaeque meae, quam diutissime saluum, incolumem, sospitem atque superstitem praestet & conseruet.

PERILLVSTRI NOMINI TVO

*Vitembergae Id. Octobr.
c 13 1000 XIII.*

omni cultu atque obsequio
deditissimus
THEODORVS DE HVYSSEN.



I.



Ln reliquis bene multis & variis *Examen*
argumentis, quæ ex beneficia *feudalis*
doctrina solentiori tracta- *iuris abu-*
tione videbantur esse dignio- *suum vti-*
ra, nullum æque nobis placuit *lissimum.*
atque arrisit, quam quod ipsius
nobilissimi feudalis iuris abu-
sus nobis repræsentaret, & abusu-
um sobriam de-
uitationem præciperet. Quippe mens senten-
tiaque hæc nobis semper sedit, eam demum ad
emendandas disciplinas & scientias esse commo-
dissimam viam, quando navi earum notentur, in-
quinamenta ostendantur, errores refecentur, at-
que abusus declarentur. Tum demum cultio-
rem reddi doctrinam, vsunque eius commenda-
torem fieri, nobis visum est, si remoueantur, quæ
eius integritati maxime offecerint. Quod cum
ita sit, atque alibi repurgandis beneficiarii iuris

A

macu-

Instituti
ratio at-
que argu-
menti ex-
posito.

maculis perpaucula opera fit impensa; (a) non admodum dubitauimus, porro inhaerere instituto, & vice hac perbreue examen abusuum eiusdem iuris instituere, placidoque eruditorum iudicio submittere. Horum autem abusuum cum crebri variique in omnibus beneficiarii iuris generibus atque speciebus occurrant, diuidenda duximus argumenta, & tantummodo *de Longobardici iuris abusus* quaestionem habendam. Longobardicum ius beneficium & priuatis causis, & maxime, dum ad publicum imperii statum crude applicetur, publicis hisce iuribus non simplicia parit prauiudicia. Quae noua argumenti vniuersitas ne confusionem producat, ita demum induximus animum in breui nostro decreto examine versari, vt istos tantum *Longobardici iuris abusus* loco hoc notemus, *qui imperii nostri publico statui sunt infesti atque noxii, & qui praecipue in doctrina*

*Naui iuris-
prudencia
Feudalis a-
libi per sa-
turam ex-
positi.*

(a) Praeses dissertationis *Obseruationum Feudalium*, quae modo lucem adspiciunt, secundam *Feudalis Iurisprudenciae nauis*, qui ex historiarum ignorantia ortum traxerint, indicandis atque confutandis infumit. Ingenue autem fateatur, rei tantum periculum esse factum, & ex plurimis maculis neuisque aegre pauciores propositos, & per saturam quodammodo citatos & confutatos esse; vt pluribus in posterum obseruationibus idem argumentum tractaturis sat locuples prouincia sit relicta.

de delictis feudalibus, seu, quam vocant, Felonia & vassallorum atque domini satis frequentes deprebentur. (b) Cetera ex Longobardici aut alius beneficiarii iuris abusu orientia damna principum, incommoda & præiudicia, nisi vbi in transitu quorundam mentio iniecta fuerit; malum otio ampliori referuata intacta atque intractata relinquere, quam superficialia cura egregio argumento operari.

II.

Quid hoc vero rei est, opponas mihi in principio dissertationis meæ, quisquis Romani eique adiuncti Longobardici iuris assiduus venerator es; quod communia iura, dum ex iis, quod fas æquumque est, principum iura omnia ad-

A 2

eoque

Generales
obiectiones
contra in-
stitutum
nostrum
ex Longo-
bardici iu-
ris natura
communis
iuris.

(b) Receptit in se Præses in *Obs. Feud. II. num. 8. pag. 142. lit. v.*

& *Obs. III. num. I. pag. 151.* propinquam tractationem argumenti de incommodis principum imperii ex abusu iuris Longobardici & provincialis feudalis. Argumenti bene copiosi distributionem nunc vtiliorem vtiq; iudicat. Prima ergo loco hoc cura de abusus Longobardici peregrini iuris. Altera fortassis in posterum futura de abusus provincialis Germanici circa feuda iuris. Vtrique abusus per omnia feudalis iuris argumenta diffunduntur. Ex quibus, quod vnicum hæc dissertatio examinandum suscepit, quod versatur scilicet in expendenda adplicatione Longobardicæ de felonia doctrinæ ad imperii statum; transeundo iamdem attingit & strictim memoravit Præses in *Obs. Feud. II. n. 8. pag. 125. in notis.*

Copiosi ar-
gumenti de
feudalis iu-
ris abusus
necessaria
distributio.

eoque etiam, quæ delicta respiciunt, æstimantur & definiuntur, in abusu suspicionem examine tuo adducis, eorumque adeo auctoritatem fatis diserte impugnas? Nescisne a multis retro seculis in imperio nostro Longobardicum feudale ius ita publico usu receptum esse, vt quemlibet eius usum abusus nomine infamare quam maxime nefas habendum sit? An aliud habes beneficiarium ius, quo æstimata et iudicata velles in imperio principum iura, nisi Longobardicum? Hoc probauerunt imperatoria edicta, decreta, iussa, usu receperunt curiæ foraque, susceperunt ipsi principes, laudarunt atque commendarunt doctores omnes, quotquot sapientia & prudentia iuris reliquos antecelluerunt; vt merito suo iam ab antiquo *communis iuris* naturam induerit. Bene atque grauiter Paulus Iureconsultus dudum monuit: (c) *Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt.* Quod cum in ipsos principes atque legislatores dictum sit, quo minus mutandis iuribus usu receptis & prudentium interpretatione certis consentiant: quid priuatus audes inclamare veterem, probam, testatissimam,

(c) *Lege 27. D. De Legibus Et Senatuscons.*

simam, commemoratissimam doctrinam, eiusque usum genuinum, verum, rectum proscribere? Suntne principes nostri vasalli, status clientes imperatoris & imperii? Si vasalli sunt, idque negare non conabere, cur non vis eorum iura ex Longobardico iure declarata atque inluminata? In possessione sumus veritatis, valere in vniuersum Longobardicum ius, donec probata fuerit expressa exceptio, alias vt receptum firmiter perstare atque consistere. Cum adeoque nunquam probaturus sis, in principum causis alio iure vti conuenire, verum certum potius maneat atque inuictum, easdem illo iure simul comprehendi & iudicari; pone quæso modo stilum, aliud quære argumentum, quod excolas. Sta cum eruditorum nube, & venerare sacrum ius atque incomparabile, totque munitum præsiidiis, quot expugnandis nunquam sufficeris. (d)

A 3

III.

(d) Obiectiones hasce aut vniuersas aut singulas, quas contra nouatores, quos vocant, pro Longobardici iuris auctoritate doctores asserunt, totidem fere verbis possemus ex ipsis auctoribus allegare. Sed non superest otium copiosioribus notis, nec est paulo versatior in hac disciplina, cui non abunde agniti sunt Longobardici iuris plurimi defensores.

*Obiectio-
num aucto-
res obique
obuii.*

philos.

90

III.

*Generalis
rationum
confuta-
tio.*

*Longo-
bardicum
ius an
commune
sit?*

*Rationes
Aff.*

Ego vero oppositionibus hisce nunquam mouebor, vt meam de abusibus Longobardici iuris in nominato argumento explorandis mutem sententiam; quin demum, si valde vrges, omnem non tam abusum eius inculcauero, quam generatim eius in Germania legalem vsum reprobaui. Ne aberrem vero nimium a præcipuo instituto meo, paucis tantummodo respondebo ad obiectiones, quibus confutatis, promptior mihi in reliquis argumentandi potestas futura est, atque apparebit, omni me iure singularem dicam Longobardico iuri in argumento meo scripsisse. Dicis *Longobardicum ius esse commune*, cuius auctoritatem impugnare audeam. Quas affers quæso sententiæ huius tuæ rationes? Publico, ais, vsu a multis retro seculis in imperio nostro receptum est. Nullum aliud feudale ius est, cui nomen illud vnquam datum sit. Probarunt illud Cæsares principesque, vsuque communi imperii iudicia curiæque susceperunt. Stat denique pro communis iuris & nomine & auctoritate fortissimum eruditorum prudentissimorumque doctorum præsidium. Bona fide omnes istas rationes continuo imbecillas, imo etiam maxi-

maximam partem falsas adpellabo, & esse probabo. Prima quidem ratio ex tertia quartaque
 suum fere præcipuum robur impetrat, vt non incommode coniungi queant. At, vt ordine
 progrediamur, primam rationem, quæ publicum & antiquum vsum Longobardici iuris
 laudat, ex doctorum quorundam sententia de vfu in singulis Germaniæ provinciis interpreta-
 bor; & deinde in ceteris rationibus inquiram, quid toti imperio placuerit, & an eius decreto
 Longobardicum ius communis iuris vim atque auctoritatem obtinuerit. Est ergo Longobar-
 dicum ius commune, quia publico antiquoque vfu receptum est. Quem qualemque publicum
 vocas vsum? Illum puto, qui publice cognitus probatusque est, & quidem, quod addunt do-
 ctiores, spontaneo omnium arbitrio. Cognitum probatumque dices, quod in scholis forisque
 vbique in Germania vsum obtinuit. Spontaneum arbitrium adpellabis, cui licuit publicum v-
 sum inducere, & quod potuit voluitque. Primo hoc loco monebo, non conclusionem, quod
 Longobardicum ius commune sit, ex necessaria consecutione inde fluere, quia publico vfu sit
 receptum. Publicus fortassis vsum permittit, vt aliquid

exami-
 nantur &
 refutan-
 tur.
 I.

non

philos.

90

aliquid etiam agam, & vetat, ne quis me vsu prohibeat; non continuo commune ius inducit. Sed contra ipsum publicum vsum quædam dicenda superant. Fac Longobardicum ius in scholis prope omnibus olim hodieque esse traditum; id cognitum publiceque esse probatum. Saltem non diffitebere, doctrinæ id gratia, non statuendi iuris causa id factum esse. Publicus itaque vsus, doctrinæ causa probatus, minime probat statuendi iuris voluntatem. Sed in foris publicus vsus obtinet; quid ad hunc repones? Illum nec probatum, nec vniuersalem fuisse, dicam. Non probatus est, namque toties quoribus illi contradixerunt, quorum intererat Longobardica iura non obseruari. Non vniuersalis est: namque, quod placuit Bambergensi curiæ, non probatum est Colonensi, Fuldensi, aliis. Paucarum curiarum consensus publicum vsum non induxit. Spontaneum quæso quale arbitrium? Non imperatoris, nec principum: quos nunquam vsui publico consensisse deinde ostendam. Non vasallorum ceterorum; quibus inuecta peregrinitas non simplices extorsit querimonias. Ergo scholæ forique. Illius autem spontaneum arbitrium doctrinam commendare,

non

non commune ius erigere potuit. Huius arbitrium, quod paulo ante de publico usu diximus, nec fuit generatim, nec esse potuit. Vnde falso constitui publicum Longobardici iuris usum, adeoque primum pro veri & proprii communis iuris qualitate illi afferenda, nedum iusta eius ad principum causas adplicatione stabilenda, ruere argumentum intelligimus. (e)

IV.

Verum præter publicum usum contendis nullum aliud ius feudale in Germania commune factum esse. An est vero opus, ut communi iure utatur Germania? Nonne semper singularum Germaniæ prouinciarum diuersæ fuerunt formulæ & publicæ & priuatæ? Quod & in antiquiori æuo certum est, & maxime in recentiori. Quem latet, iam ab antiquo beneficiaria instituta Sueviæ Saxoniamque varia atque

II.

B

singu-

(e) Rationes modo confutatas, cur Longobardicæ consuetudines ex recepto obseruentur, cum aliis auctoribus attulit etiam B. Strykius *Ex. l. f. cap. 1. qu. 14.* Confutationis mea robora petas licet ex *Præsidis Obs. 11. num. 3. lit. i. & k. pag. 63. sequ.* ubi multis testimoniis constitit, publico Longobardici iuris vsui adprime ab ipso Cæsare, principibus nostris, & præcipue prouinciarum ordinibus contradicendum, eumque adeo subinde satis expresse improbatum & infirmatum esse.

Long. iuris
publicus u-
sus semper
impugna-
tus.

philos.

singularia fuisse? Hoc etiam cenſeo in nãuis
 feudalis iurisprudentiã adnumerandum eſſe,
 quod doctores noſtri feudales Germanicas leges
 generales, eademque fere principum & Land-
 ſaſſiorum iura paſſim conſtituere conati ſunt.
 (f) At, dicis, ipſã ſubinde publicã imperii
 principumque leges ad feudale commune ius
 prouocant: ſi nullum habes Germanicum com-
 mune ius, ergo eſt proſecto Longobardicum
 hoc nomine indicatum. Minime vero. Pro-
 uocatio ad commune ius facta intuitu earum
 conſuetudinum, quã in vniuerſum in Germania
 ſiue plane ex patriis inſtitutis, ſiue, quod for-
 taſſis conceſſerim, pars ex illo peregrino iure
 qualiquali uſu communiori receptã erant. Hã
 poterant commune ius Germanicum dici: vt
 iſtud tamen non alio ſenſu Germaniã prouin-
 ciis vniuerſales feudales leges poſſet imperare.
 Proinde non Longobardicum ius ipſum pro
 communi habitum, ſed quando tale laudatum,
 conſuetudines intellectã, quã magis vniuerſa-
 les, vndecunque demum adductã, nunc eſſent
 in Germania: vbi tamen ex vno vniuerſali mo-
 re

(f) Vid. rei copia probatio & explicatio in Prãſidis *Obſeru.*
 II. num. 4. 1010. pag. 72. ſequ.

re nullus prudens ad omnia instituta vniuersalia consecutionem formauerit. (g) Instas & vr- III.
B 2 ges

(g) Exempla istius prouocationis adducunt doctores ex *Decla- Quamen-*
rat. Pac. Publ. de an. 1543. tit. 3. ibi: Was das Lebn-Recht *te ad com-*
vermag. Ex Rec. Imp. An. 1567. §. 30. ibi: Feloney. porroque ex *mune feud.*
Capit. Leop. art. IV. & XXXIX. vbi verba occurrunt denen *ius prouo-*
Leben-Rechten gemäß. Præterea prouocant ad Saxonicas con- *catum i*
situtiones, in quibus ad commune ius, die gemeine Rechte,
casus Saxonico feudali iure non decisi remittuntur: quod sic
Constit. Sax. XXXVII. p. 1. XLV. p. 2. Quid habeam ad hæc & alia
exempla, quæ facile coaceruarem, reponendum; modo mo-
uai. Imperii leges non plane intelligunt Longobardicum,
quod doctoribus videtur, sed commune Germanicum, saltem
Longobardicum, si vis istud, ius non nisi probato eius in
quibusdam causis commodo vsu. Ad illud vero maxime
natiuum Germanicum ius, imperii nostri Leges, præsertim
vetustiores, solas remittunt Germanicas causas. Bene huc
quadrat illa sententia principum ex Goldasto Reichs - Satz.
P. II. pag. 90. tota exscripta a Præside in Obs. II. pag. 64. in
qua de Feudali Germanica causa diserte pronunciat, vt
omnia Germanica lingua Germanicoque iure proponantur,
definiantur atque expediantur: daß er das in Teutschen und
nach Teutschen Rechts - Gewohnheit durch seinen Fürsprecher
thun und fürlegen solte. Cui sententiæ grauissimæ iudicii
tunc a principibus celebrati, minime paulo post sancitæ
imperii leges contradixisse credendæ sunt, sed potius, quod
res est, maxime resignasse Germanicas causas ad Germanica
communia, & vix in paucis ad aliunde adscita subsidiaria iura.
Prouocatio ad feudalia iura in Capitulatione facta, diserte
respicit Italicas Mantuæ, Sabaudiaque ducum feudales causas:
quas si Longobardico iuri vltro concesserim, minime istud
vnquam Germanicorum iurium auctoritati nocebit. Quan-
do deni-

ges Augustissimi Cæsaris summorumque principum imperii iussa decretaque, quæ Longobardicum ius prorsus & plane, vtque locus superiori exceptioni meæ nullus maneat, commune iusserint esse, eiusque hanc dignitatem diserte probauerint & laudauerint. Nego vero hoc factum esse, pernegoque. Si quando prouocarunt ad commune ius, qua mente id fecerint, quodque

do denique vti Saxonix, sic etiam alii principes ad communia iura prouocant, fatentur, terrarum & regionum singularibus consuetudinibus propositos casus non decidi. Remittunt proinde tales causas siue primum ad consuetudines, quæ fere in vniuersum Germanix probentur; siue, quod non minus probabile videtur, ad communia Germanorum allodialia, quæ vocamus, iura: siue, si omnino id cupis, ad vltimum subsidium peregrini Longobardici iuris. Sane Saxonicas leges subinde magis putauerim ad Saxonicum commune ius prouocasse, quam omnino ad cetera Germanica feudalia, nedum statim peregrina iura. Sed vtrum etiam elegeris, saltem Longobardico iuri vere communis iuris indoles legibus illis minime tribuitur. Nominis *Felonix* mentio in *Rec. Imp.* occurrens, prorsus nihil probat. Germanicum est vocabulum, fortassis Germanis nostris citius cognitum, ac Longobardicum ipsum ius. Sed fac demum ex iure hoc Germanis vocabulum innoruisse. Probabit istud, Longobardicum ius, quod nemo dubitat, Germanis satis cepisse cognitum & subinde in subsidium ad illud prouocatum esse; non vero probabit, ab iisdem communis & vbiq; ac semper valituri, quod nomen notat, iuris instar illud susceptum esse.

que tale statuerint, docuimus. Ceterum in vniuersum nulla expressa probatio iuris Longobardici adduci potest. Tacita adprobatio magis laudatur, quam probatur. Qui enim illa probari potest, vbi publice non simplici vice contradicitur? vbi mandatur imperii iudiciis, vt sedulo attendant ad patriæ mores, hos seruent tueanturque, ex hisce iudicent atque administrent iustitiam? Quæ omnia frequentius facta esse, nos verior patriæ nostræ historia satis docet. (h)

B 3

V. Quid,

(h) Probationem Longobardici iuris aut expressam, aut saltem tacitam plerique doctores hodieque afferunt. Goldastus in *Præf. der Reichs - Satz.* diserte scripsit, Longobardicum ius publice in comitiis probatum esse. Vt parum illius vero narratio fidem inuenerit, dicunt tamen multi, prouocationem ad commune Longobardicum ius pro expressa probatione omnino habendam esse. Vnde aliquis ad Strykium *Ex. I. F. cap. I. qu. 16.* qui negat diserte & plane per vllam imperii legem Longobardicum ius confirmatum esse, hæc monet: *Debuisset hoc affirmari. Ipse auctor questione sequenti faterur, in recessibus imperii, qui ab imperatore & statibus conditi sunt, identidem ad ius feudale Longobardicum prouocari, idque tanquam receptum allegari. Confirmatio vero incidenter facta etiam est confirmatio.* Verum & hæc per antea dicta non leuis hallucinationis conuicta haberi possunt. Tacita probationi maiori probabilitate illa prouocatio ad Longobardica iura prætexi fortassis poterat. Postquam autem hæcenus constitit, prorsus dubiam & improbabilem haberi prouocationis illius ad commune ius de solo & proprio Longobardi-

Probatio Longobardici iuris nec expressa,

nec tacita recte in Germania adferitur.

philos.

90

V.

IV.

Quid, dicis, habes reponere ad obseruantiam iudiciorum imperii, in quibus dudum Longobardicum ius communis iuris obtinuit auctoritatem? De publico sed singulari in prouinciis fororum vsu inquisiimus. Quantum ad sacra imperii iudicia pertinet, nego illam communis iuris inducricem obseruantiam. Si quando Longobardicum ius obseruatur, fit hoc, vbi nihil

gobardico iure interpretationem: non ultra facile tacita adprobatio aut confirmatio Longobardici iuris, quæ communis iuris ipsi virtutem tribuerit, nedum vero expressa, quantum magno a doctoribus ore porro prædicetur, fidem apud cordatiores reperiet. Ipsi tacite etiam adprobationi repugnare scio expressa monita imperatoris & imperii ad summa iudicia, vt Germanica feudalia iura probe obseruent; qualia exhibent *Ord. Cam. an. 1495. tit. die Untertanen. Recentior O. C. P. I. tit. 13. §. 1. Ord. Ind. Aul. tit. 111.* & præcipue grauissima iudicii principum sententia, quam paulo supra ex Goldasto allegauimus. Hæc crebra Germanicorum iurium commendatio minime communis & primarii iuris auctoritatem Longobardico iuri indulsit; quin potius illam de eo satis expresse detraxit. Et quid aliud egit comitalis consensus, imperante Sigismundo, quam vt præter reliqua peregrina iura maxime Longobardico iuri aditum præcluderet? sic ille habet: *Item gedencket zu ratschlagen, wie das die alten Recht und Gericht gehant habent werdent, und iren Gang gewinnen, noch dem und das von älter Herkommen. Item und obe jemand sich dowider setze, wie man dem daz zu halten sollte.*

hil moribus nostris, ad quos iubentur iudicia præcipue imo fere vnice respicere, definitur, ad Germanici iuris subsidium. Tum non puto illud ius allegari posse, qua vere commune, sed qua rationi præcipue conuenire, iurique adeo nostro subuenire puratur. Non diffitebor, doctores quosdam diuersam fouere sententiam: sed stat mecum ipsa ratio. Qui enim pro perfecto communi iure Longobardicum iudicia habeant, quod nulla lege, ne quidem consuetudine tale factum est? Iudiciorum imperii non ius, non auctoritas, nec ea omnino præsumtio est, vt nouas leges iuraque condant, aut pro communi iure declarent, quod nunquam in dignitate ista habitum est. Prout adeoque ad communes doctorum sententias prouocant, vt in communi iur. illas habere nec possint, nec velint: ita cenfeo, parum ampliori auctoritate aut effectu prouocant ad Longobardicas consuetudines, & ex iis, dum Germanica instituta fortassis fileant, ius reddunt. Sique omnino habeantur formulæ, quæ prolixiorum iudiciorum voluntatem probauerint, conceptæ ea fortassis a doctoribus Longobardici iuris nimis patronis: nec opinatio hæc tum laudanda, aut argumen-

v. argumenta ex ea petenda, sed coarguenda & improbanda. (i) Nunc vero extrema præfidia pro communis iuris præfumptione non minus remouebo, & a vexillis facile auocabo. Quænam sunt illa? Doctorum consensus optimorum, qui vno statuunt ore, adeo communis iuris nomen recte Longobardico tribui, vt quibusdam

Observantia iudiciorum imperii an Longobardico iuri naturam communis iuris tribuat?

(i) Euicimus prouocationem ad commune feudale ius, quæ fortassis in imperii legibus occurrat, minime communis iuris qualitati Longobardico iuri asserendæ patrocinari. In obseruantiam iudiciorum illud fortassis quadret, quod dicitur §. 7. I. de I. N. G. & C. *Prætorum edicta non modicam obtinent iuris auctoritatem.* At primum respiciendum, in quibus causis definiendis Longobardico iure vtantur iudicia. Si sacra imperii iudicia Italicas causas iudicant, recte illo iure vtuntur. Si Germanicæ causæ fuerint decidendæ, diserte in *O. C. tit. supra citatis* iudices ante omnia iubentur Germanica obseruare iura. Quodsi tum ex Longobardico iure solo & quidem primario loco, quod facturos eos ipsi negamus, pronunciauerint, ius quidem videntur reddidisse, sed inique, nec adeo potuisse ius constituere. Commode ita Paulus dixit *L. ii. D. de I. & I. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum inique decernit: relatione scilicet facta, non ad id, quod ita prætor fecit, sed ad illud, quod prætorem facere conuenit.* Si vero tantum quod videntur, in subsidium Longobardica iura iudices consuluerint, minime pro vere communi sed subsidiario, quale sit licet, iure illa habuisse censendi sunt. Enimuero responsa etiam prudentum ex iure consuluntur, & quodammodo vim iuris habent. §. 8. I. de I. N. G. & C. L. D. de LL. & SC. Quis vero illis responsis proprii communis iuris indolem tribuerit?

busdam prorsus placuerit, ius omnino gentium illud referre. Non aduocabo doctores alios, uti consensum istum adeo prædicatum profligem. Istos & reperirem, & utique fortiorem eorum partem iudicauerim, cum ex parte ipsorum stet ipsa ratio & veritas. Dicam potius aperte, opinationi vel nubem celeberrimorum doctorum veritatis indolem minime conciliare posse. Solent sapientiores, posita hodie præiudiciorum auctoritate, haud difficiliter suspicaces esse, quoties sententia quædam se vno *communiter receptæ doctrinæ* nomine tuetur. No- uimus laudabile istud studium non minus felix, & auspiciatum, & veritatibus reperiendis proficuum existisse. (k) Ut cum adeo vltimum robur opinionis in numero consentientium doctorum collocatum non validum satis perstiterit; commode nos etiam nunc, data hac occa-

C sione,

(k) Licet commune sit humanæ vitæ malum, de quo Seneca de *Consensus*
Vita beata dicit: *Non tam bene cum rebus humanis geritur, Doctorum*
 ut meliora pluribus placeant: sunt tamen semper pauci qui *haud ra-*
 dam, qui, ut in ceteris disciplinis, ita in beneficiario etiam *rum erro-*
 iure verum agnoscunt, & licet communi doctorum consensu *ris pallium.*
 introductis, probatis, atque confirmatis erroribus se strenue
 opponunt: quibus se adiungere, & laudabile pro virili sequi
 exemplum nemini ingenuo non conuenit.

sione, Longobardicum ius *communis iuris*, quæ nimirum vocabuli huius propria vis est, specie, qua huc vsque superbiuit, atque ipso vicino nimis errori nomine exuendum, & prope in censum reliquorum iurium prouincialium, quibus quidem ob peregrinitatem fere inferius, sed ob subsidiarii iuris ei adiunctam qualitatem paulo superius haberi possit, redigendum atque ablegandum censeamus & iudicemus.

VI.

Obiectio-
nes cetera
summa-
rim decli-
nata.

In reliquis obiectiones, quæ minorem habent speciem, paucioribus dicendum erit. Pauli lex nobis male opponitur. Non mutandum decernimus, quod certam, hoc est ratione proba munitam interpretationem semper habuerit; sed quod potius semper incertis, dubiis, imo nonnunquam falsis etiam argumentis se sola doctorum imitatorumque auctoritate defendit. Priuati vero cuiuslibet vti est peruestigare veritatem, ita etiam inclamare errores vel altissimo loco positos. Argumentum a vassallis ad Longobardici iuris legalem tuendum usum oppido ineptum est. Feudalia instituta in Germania vtique antiquiora sunt, quam in Italia, in quam haud dubie omnino ex illa illata sunt: vt ex Italia

Italiae legibus feudalia Germaniae iura aestimare frustra, & principum feuda metiri prorsus nefas fuerit. Possessio veritatis nunc conuulsa, turbata, vacuefacta, praesidiisque priuata, non ultra ergo nos in causa hac moratur, quo minus de Longobardici iuris, si mitissimis nominibus utar, variis modis inquirere incipiamus abusibus. Nempe nos, ut plane dicamus sententiam, Longobardicum ius instar alterius priuati & peregrini, sed subsidiarii iuris merito suo habebimus: & quantus istiusmodi usus instituti potest esse in Germania, ut ex rationibus peregrinarum, sed tamen in patria diu cognitarum, subindeque probatarum consuetudinum aut legum, petantur alias defuturae subsidiariae decisiones; tantum etiam Longobardico iuri in posterum non ingratis largiemur. Quoties autem deprehenderimus, ex Longobardico iure quasi proprio, & primario, & communi Germanicas, maxime principum imperiique statuum causas, quibus longe alia sunt iura, crude & imprudenter diiudicari; toties abusus inculpabimus, & peruersos usus inculpabimus. Utan- tur illo iure plane communi & proprio Itali, quibus datum est, atque magnam eius partem a Germanis imperatum. In Germania nostra

*Longobar-
dici iuris
usus*

*docet eius
abusum.*

C 2 *audire de m. docca-*

doceatur, prout commodiori patentiorique doctrina illi adfueti sumus, porro in academiis; cum Germanica iura nostra, quod quidem factu erat & opus & non admodum difficile, nondum in artis certam formam redacta, ceterumque non nisi singularibus prouinciis singularia statuenda sint. Sed maneat doctrina, aut, si omnino placet nomen iuris, *subsidiarium sed peregrinum ius*; non vero profus, & ex vera vocabuli vi & potestate *commune ius* fiat. Prouocetur ad illud, non qua receptum usu, nec omnino quatenus receptum; sed qua fortassis eius rationes nostri iuris rationibus non repugnant, sed cum ipsis conueniunt & conspirant, aut hisce ulterius affundunt lumen. (1) Et hoc modo haecenus remotis impedimentis, quae in principio doctrinam nostram in maximam poterant suspicionem & offensionem pertrahere, nunc inoffenso pede rem nostram, quam molimur, agimus.

VII.

Protulimus in medium & proposuimus *examen*

Long. iuris
in imperii
statu nullus
proprius
verusque
legalis
usus.

(1) Praefes de hac Doctorum lite, an qua, aut utrum quatenus receptum Longobardicum ius in Germania valeat? sententiam dixit in *Obs. II. num. 8. pag. 141.* & utramque questionem negauit: eamque etiam nunc maxime negamus, dum speciatim ad publicum imperii statum ea dirigatur.

men vnici argumenti, nempe *Longobardica doctrina de felonia ad status imperii communiter applicata*: vnde, quot abusus Longobardici iuris patefiant atque appareant, esto deinde apud omnes eruditiores iudicium. Tria sunt vero hoc loco consideranda, vt tractationis nostrae iustus modus impleatur. Respicenda sunt *Longobardica de feudalibus delictis placita*. Deinde ostendendum, vt multi doctores *præcepta ista vel plane vel partem ad iura principum nostrorum applicanda censuerint*. Quod postea examinandum, idoneisque rationibus *Longobardicam doctrinam hanc admodum parum aut nihil cum summis principum iuribus habere commercii*, eiusque adeo ad hoc argumentum docendum confidentem vsum multos variosque abusus sapere, est euincendum. Primam partem argumenti, quam copiosissimam facile instrueremus, dum mirifice abundant doctores nostri feudalium delictorum accurata expositione atque diiudicatione, nos ex eadem quidem ratione breuioribus absoluemus. Delicta feudalia vno verbo Longobardi *Feloniam* leguntur compellasse: quod vocabulum, quo minus ex Germanica lingua originem traxerit, nemo hodie fere ultra

Partes argu-
mentum
nostri.

liber 8

I.
Longobar-
dica do-
ctrina de
Feloniam

dubitauerit. Feloniam veitita committendo & mandata omittendo committi, translaticium est; vt in prioribus tamen delictis ea præcipue deprehendatur atque puniatur. Colligendo autem Longobardicarum consuetudinum præcepta, ita fere vtriusque felonix rationem committit *vasalli*, mode statui posse reperimus. Committit vasallus feudale delictum vel intuitu domini, vel feudi ipsius: eodemque fere modo etiam omitendo peccare potest. Intuitu domini vel eum eiusque familiam lædit violatque, vel atrociam alia delicta committendo se domini fauore & beneficio indignum reddit. Committendo in priori causa beneficium perdit, si dominum occiderit, grauiterque vulnerauerit, aut bello petierit, aut iniuriis laceffiuerit atque infamauerit, aut etiam cum hostibus contra eum conspirauerit. Idem iuris obtinere creditur, si de crimine capitali dominum accusauerit, aut testimonium perhibuerit, si famosam contra eum actionem instituerit, & denique si secreta domini reuelauerit. Familia domini læsa violataque censetur, cum vasallus domini vxorem vel non inuitam adulterauerit, aut turpiter cum ea luserit; aut filix neptique, aut forori in domo eius

eius atque in capillis existentibus stuprum intulerit. In alios delinquendo vasallus domini beneficio indignus iudicatus, feudum perdit, si parricidii, læsæ maiestatis, incestus, proditiōnis admiffæ, aliorumque criminum maiorum reus actus & damnatus fuerit. Respectu feudi, istud aut quouis modo alienasse, aut deterius reddidisse conuictus vasallus illud perdit. Quo retulerim etiam abiudicationem feudi, si quis nimia in subiectos eius potestati sæuitiæ reus dehortanti domino non obtemperauerit. Post delicta, quæ in commissis consistunt, Longobardicis etiam legibus omiffa officia in magnam culpam imputantur, & feudi priuatione puniuntur. Si quis dominum non defenderit, periclitantem in conflictu deseruerit, captiuum non liberauerit, famamque eius & honorem obseruauerit, feudum perdere damnas esto. Si denique feudum intra annum & diem possederit, nec apud dominum professus nomen inuestituram petierit, item priuandus feudo. Quæ delicta quidam doctores ita augent, vt prorsus putent omnes fere causas iustæ exhæredationis sufficere etiam ad amiffionem feudi. Quo ceterum fatis aspera doctrina magis adhuc dura est illa Longobardi-

*Et omnino
domini.*

gobardica sententia, quam modo extremum adducimus, quæ idem feloniam crimen non tantum etiam a domino committi putat, sed omnino iisdem ab eo modis perdi feudum, quibus vasallus illo excidat, fidenter constituit. (m)

II X.

*II.
Doctorum
applicatio
doctrina
illius ad
principum
iura,*

*vna cras-
sior et in-
epior;*

Visa & considerata Longobardica de feloniam & vasalli & domini doctrina, continuo salutamus doctores nostros iuris æque feudalism atque publici consultos, & qui putent communia illa de delictis feudalibus præcepta in principes statusque imperii nostri quadrare, exquirimus. In duas eos video abire sectas. Pars Longobardicorum præceptorum, quod ea iuris corpori adiuncta vident, veneratione fascinati, quasi explorata rei veritate, prorsus omnia illa Longobardica iura imperii vasallis conuenire, atque ex iisdem, quas memorauimus, causis imperii feuda posse perdi, confidenter decernunt. Nec dubitant quidem de feloniam domini, quin ea eiusque pœna locum habeat in nostris principibus, respectu vasallorum, qui in eorum sint ditionibus: vt anxie omnino anqui-

*Doctrina
de feloniam
copiosissima.*

(m) Copiosior est doctrina de feloniam, cuius abusus tantum, qui ad totius imperii, non qui ad prouinciarum Germaniam statum pertinent, consideramus, quam cuius momenta disputabilia hoc loco tentare, nedum pertractare valeamus.

anquirant, quid in imperatore, si ille talem feloniam commiserit, iuris sit, an & tum eodem iure principes pleni ditionum fiant domini, vtrum imperio iura seruentur facta testaque atque integra? (n) Pars altera doctorum ex numero est prudentiorum & moderatiorum. *altera subtilior & moderatior:* Hi vident, non absolute & plane in hac causa Longobardicarum consuetudinum auctoritatem admitti posse. Quod hanc tamen maximi faciunt, maiora quidem delicta in iustis causis priuationis imperii feudorum, ex Longobardico iure recte haberi statuunt: minora condonari principum dignitati atque potentia, benignitatisque imperatoris hoc in casu locum esse. De domini felonia affirmant, omni iure eius fancitam poenam etiam ad principes imperii spectare; licet per horum potentiam non deficiente iure huius tamen cesset effectus atque exsequutio. Quantum pertineat ad imperatorem, eo feloniam committente imperium seruare ius integrum; licet tum non cogi possint principes,

D vt ultra

(n) Satis crudam hanc Longobardicæ de felonia doctrinæ ad *Crafftoris* imperii statum adplicationem suscipiunt *Sixtinus de Regal. adplicationis patroni.* lib. I. cap. 6. num. 67. *Schutzius Coll. Publ. Vol. I. disp. 6. tit. 30.* lit. f. *Knipschild. in informatione domini erga vasallum: passim Rosenthal Cap. X. concl. 1. n. 2. 5. concl. 4. n. 1. &c.*

ceterum
satis alte-
rutra ge-
neralis.

vt ultra imperatoris dominium atque imperium
venerentur. (o) Alterutri huic sectæ reperies
doctores plerosque siue aperte, siue tacite, at
vt constare tamen de mente aliunde possit,
faucere.

Moderati-
orum do-
ctorum
mentio.

(o) In moderatioribus doctoribus præcipue adnumero Iterum
de Feud. Imp. cap. XXIV. qui etli agnoscat *num. 4.* non con-
uenire principes ob qualecunque admissum, quod feudi amissio-
ne coercetur in *Nomothesa Longobardica*, ad instar minutu-
lorum vasallorum, territorio suo multari; alibi tamen passim
& diserte *num. 7.* credit communibus feudorum regulis impe-
rialia beneficia hac in parte regulariter æstimanda: & ita in ma-
iõra principum delicta Longobardicas consuetudines vbique
adplicat, & exemplis omnino illustrat. Ipse præterea Itte-
rus laudat plures auctores, qui cum ipso moderatius sense-
rint. *Ioh. Sam. Strykius ad Antonii I. Feud. disp. XI. lb. 4.*
lit. e. in nota: Ha, inquit, & alia cause minuta ad feuda im-
perii adplicari non possunt, cum plus iuris habeant principes &
status imperii, quam reliqui minimi vasalli. Excipiendo
adeoque cum Itero, ad quem prouocat, firmat non minus
regulam in causis non exceptis, & felonix maioris adplica-
tionem admittit. *Vulteius de Feud. lb. I. cap. II. num. 50.*
post enarrata felonix capita *Nostri*, inquit, *temporis vasalli*
ea libertate vtuntur, vt huiusmodi penarum fulmina non ad-
modum reformident. B. *Hornius etiam Iurispr. Feud. cap.*
XXIII. n. 26. de felonix Domini dicit: *Potentia Domino-*
rum efficit, vt rarissime eiusmodi felonix vindicari soleat.
Quo ipso vterque quidem in vtraque felonix iudicanda Long-
obardicas leges in feuda imperii adplicanda censet; vt soli
vero potentix eorum adscribant, non æque commode bene-
ficiariorum delictorum pœnas ab imperii principibus repeti.
Mitto vbique obuias reliquorum Doctorum sententias.

fauere. Vnde quam est aut plane aut partem eius receptissima sententia, *Longobardicas feudaliū delictorum rationes in imperii feudis accurate obseruari*: non parum opus est, vt in causas, momentaque, atque exempla, quibus alterutra secta doctorum præcipue innititur atque fidem habet, paulo magis inquiramus.

IX.

Qui crassio rem primam Longobardici iuris ad principum, qua sunt vasalli, statum atque iura adplicationem admittunt, præcipue Sixtinus atque Schutzius; sententiæ suæ singulares causas parum quidem afferunt, vt eas tamen facile ex ipsorum mente & reliqua doctrina possumus colligere. Generatim hi auctores plane monarchicum imperii statum comminiscuntur, cui putant Longobardicarum legum vsum ad prime conuenire, cum in tanta imperatoris maiestate videatur absonum, imperii vasallis molliores, quam Landsassii leges scribere. Longobardicas consuetudines vident imperatorum constitutiones quasdam comprehendere, quas, cum præcipue *Alemanniæ*, in qua simul leges valere debeant, meminerint, non dubitant valde certum ius Germaniæ statuissè. Inde opinantur

D 2

tur

*Prioris
adplicationis
crude
ad feloniam
vasallorum
imp. rationes,*

tur ortum esse, vt Longobardicum ius tandem pro *communi iure* in Germania vsu acciperetur. Communis iuris in vicem susceptum, ipsi aiunt publico Germaniæ iuri nunc commode principia & præcepta subministrare. Vt adeo, siue imperii principum statum publicum, siue feudalem respexeris, Longobardica iura idonea cognoscendi & iudicandi habenda sint principia. Si quæ vero Longobardica iura valent, & vsu recepta esse constat, saltem reliqua omnia non sine singulari lege teste excipienda esse contendunt. Ex quo demum satis euietum esse autumant, omnes perdendi feudum casus ex Longobardico iure statuendos, & imperii vasallis præscribendos esse. (p) Rem putant, qui paulo sunt

*Crebra in
crassioris
sententia
rationibus
petitiones
principii.*

(p) Perpetuam principii petitionem Doctores plerosque dicas committere. Maiestas imperatoris monarchica, subditorum qualitas, legumque imperatoriarum vigor, continuo laudantur. Prouocatur diligenter ad illud Vlpiani *l. i. d. de Constit. Princ. Quod principi placuit, legis habet vigorem.* Commune ius esse Longobardicum, ægre quisquam dubitat. Inde varix confectiones vbique trahi & proponi solita. Quo argumentationis genere Rosenthalius, Schraderus, Sixtinus, & quot alii, quin ipse Iterus, haud raro vti solent. Principia publico nostro iuri ex feudali iure subministrari, olim indubitabilis visa veritas. Diserte Schurtzius *Vol. I. Coll. Publ. disp. I. tb. 12. quo, de principis loquitur, pertinet ius feudale.*

funt historiae peritiores, non incommode ex Germaniae historia comprobari & adprobari. Prouocabunt fortassis ad Bauarici ducis Tassilonis exemplum, qui, quod cum hostibus imperatoris foedus icerit, feloniam admissam feudi iactura luere coactus est. Arnulphi Bauari filii, quod paternam dignitatem, antequam imperatoris Ottonis adprobationem & quodammodo inuestituram impetrassent, gerere coepissent, feudis exuti, atque in exilium deportati sunt. Plures deinceps etiam Boioariae duces perduellionis rei feudis priuati sunt ab Ottone II. atque ab Henrico III. & IV. imperatoribus. Henricus Superbus, quod hostili esset in rempublicam animo, proscriptus, & Saxonia

D 3

atque

dale. Deinde in nota addit: *in hoc enim bona pars iuris publici Romani continetur.* Qui vero Iustinianæum omnino ius ad hæc principia retulit, quid dubitaret Longobardicum ius cum maiori probabilitatis specie in censum adducere? Rhetius modestiori vocabulo non principia sed *admicula* publico iuri ex Longobardico iure addixit: *Inst. I. P. lib. I. tit. 1. n. 77.* Causam addit, quod *fatalia inuestitura suscipienda, ipsius inuestitura necessitas, nexus inter Dominum & vassallum, iura feloniarum, modi amittendi feudi, iura successionum, & quæ similia, ex isto iure accersantur.* Quæ ceterum illustris iureconsulti verba eo integra exscribere placuit, quod inde adparet, satis eum crassæ Longobardicæ de felonia doctrinæ adplicationi non minus ac Sixtinum aliosque fauisse.

atque Boioaria simul multatus est. Henricum Leonem proscriptis feudisque priuauit Fridericus I. quod ab illo in aditu prælii cuiusdam esset desertus. Idem Halberstadiensem & Bremensem, pontifices, regalibus iuribus exuit, quod defuissent imperatori in Italica expeditione. Otto Wittelsbacensis ob parricidium Philippi imperatoris Bauarica lege proscriptus est. Fridericum Isenburgium ob Engelbertum Coloniensem casum feudis omnibus multatum misere deinceps periisse constat. (q) Et quid, inquires, tuo periculo plura exempla corrades, cum ex adductis hæctenus satis iam manifestum sit, quam amice cum doctorum sententia vetustissima iuris in Germania obseruantia conspiceret, casus feloniam Longobardico iure expressos designet,

Testimonia
de exem-
plis.

(q) Singulorum exemplorum vnum tantummodo idoneum testimonium laudabimus. De Tassilone vid. *Annales Reuberiani ad an. 788.* De Arnulphi filiis Wittichindus *lib. II. pag. 644.* De Henricis Superbo & Leone Otto Fris. *Chron. lib. VII. cap. 23. 24.* Godefridus Colon. *ad an. 1180.* Arnoldus Lub. *lib. II. cap. 24. sequ.* De Bremensi & Halberstadiensi pontificibus vid. Otto Fris. *Hist. lib. II. cap. 12.* De Ottone Wittelsbacensi Otto de S. Bl. *cap. L.* De Friderico Isenburgio Cæsarius Heisterbacensis in *Vita Engelberti apud Surium T. VI. Nou. 7.* Reliqua testimonia euoluas licet in *Prædis Hist. Germ. Vn. & Pragm. T. I.* suis locis.

designet, feudorumque amissionem decretam & exsequutioni datam ostendat, fidemque adeo certam faciat, minime falli, qui Longobardici iuris in casibus hisce definiendis auctoritatem stabiliant, ad similesque casus occurrentes illa iura exemplis testatiora hodieque in imperio producant?

X.

Scilicet, vt primæ classis doctores nostri nos *Cruda ad-*
penitius coarguant, quam plane in toto capite *plicationis*
de feloniam ex Longobardicis decretis in impe- *felonia*
rio standum sit; iubebunt etiam, vt feloniam *domini*
domini dignis rationibus imperio nostro ab ipsis *rationes,*
assertam proponamus, & commemoratissima
exempla adducamus. Dicunt feloniam domi-
ni & committi posse ab imperatore, sed maxi-
me a Germaniæ principibus intuitu vasallorum,
qui in ipsorum sint ditionibus. Namque aiunt
esse adeo arctam inter dominum & vasallum
coniunctionem, vt alteruter fidem officiaque
atque obligationem lædens, alterius vinculum
statim conuellat aut prorsus tollat. Et sunt
quidem doctores, qui non dubitant, ab Augu-
sto imperatore lædente fidem vasallis imperii
debitam, feloniam committi, & tum principes
ci impu-

ei impune non parere: quod, si sobrie atque ex aliis rationibus, reiectaque feloniam inconcinna mentione, doctrina æstimetur, satis hæcenus defendi poterit. Eo vero vsque ægre vnus alterque processit, vt in feloniam imperatoris prorsus feudalem nexum statuum imperii laxari atque dissolui arbitratus sit: cum facile perspiciat quisque, non solius imperatoris, sed ipsius imperii proprium directum esse, quod adpellant, dominium aut prouinciarum Germaniam imperium. At in feloniam principum imperii, qua Landsassicorum feudorum dominorum æstimanda, vix doctorum aliquis est, qui non Longobardicam doctrinam prorsus valere opinetur. Cum ergo principis huius feudorum, quæ sunt in ditione, directum sit dominium, vtique rectum ipsis videtur, vt iste eodem modo dominium, quo vasallus feudum, possit perdere. Disparilitatis principum & vasallorum varias rationes non possunt quidem non agnoscere. Sed contendunt, diuersitatem præstandorum officiorum illi disparilitati ordinum satis consulere, atque efficere, vt quicumque obligationi suæ non satisfecerit, iuste ille priuetur re ista, cuius intuitu obligatio est contracta.

Ceterum

Ceterum opinione *communis iuris*, quale sit Longobardicum, capti, licet dura fortassis videatur eius in felonia domini esse dispositio, legem tamen esse, eamque sequi conuenire existimant. (r) Quod rationibus etiam euincere haud adeo commode possint, putant præiudiciis & exemplis reddi manifestius, adeoque imperii in seruanda lege perpetuam facile adparere obseruantiam. Carolum V. perhibent & Flandriam atque Artesiam censuisse & Neapolitanum regnum ad se pleno dominio peruenisse, quod Gallia rex atque Pontifex Maximus fidem læserint, & ius sit, *vt*, Sleidano commemorante, *quibus de causis beneficium collatum cliens, iisdem etiam de causis patronus dominium amittat.* Ulricus Wurtembergicus dux Ferdinandum regem dominio excidisse iudicauit, quoniam hic illum capitalis criminis agendo reum,

E Longo-

(r) Cui volupe copiosam opinionis de felonia domini tractationem & defensionem legere, euoluat Rosenthalium *Feud. cap. XI. conclus. 19. 20. 21.* qui quidem ob crassiores doctrinae in imperatorem & principes imperii adplicationem meretur præcipue notari. Haud multum moderatior Antonius *disp. XI. eb. 5. litt. e.* imperatore delinquente, quandiu iste viuat, imperii vasallos liberos ab omni fidelitatis nexu fieri, pronunciauit.

Longobardicam feloniam commiserit. Meursiæ comitatus eo nomine Cliuiæ duci ademptus ad Arausionensem principem peruenit, quod dux graui iniuria vasallum affecisse, nec defendisse ditio- nem diceretur. (f) Estque Mœllerus, qui plura eiusmodi exempla haberi dicit, adeoque extra du- bitationem esse, cum ad similes casus Longobar- dicam legem protenderimus, feloniam domini eiusque legitimam pœnam satis vsu in imperii no- stri principibus receptam esse, atque omnino, quoties casus exstiterit, pro ea fore pronuncian- dum. (t)

XI. Post

*Et testimo-
nia de ex-
emplis :*

(f) Ex Sleidano *lib. VI. ad an. 1526.* & H. Grotio *Ann. lib. X. ad an. 1601. pag. 408.* de Caroli V. & Arausionensis prin- cipis opinione constat. Exemplum de Vlrico duce memo- rauit Bitschius *Comm. ad Consuet. Feud. lib. II. tit. 26. notab. 6.* qui & reliquorum exemplorum meminit.

*singularis-
que ratio
alibi obser-
uata.*

(t) Dan. Mœllerus *in Comm. ad Constit. Sax. Elect. Aug. XXVII. p. 1. num. 8.* Memoratur passim, in Gallia teste Hotomanno *ad II. F. 26. §. domino.* item in Sicilia Vtraque feudi do- minium plenum in tali feloniam domini non ad vasallum, sed ad ipsum regem deuolui. Vt vero istud pro singulari ha- betur consuetudine, ita in Germania non idem respectu prin- cipum nostrorum statuendum doctores arbitrantur, verum potius illo casu ex iure ad vasallum peruenire beneficium, non ad imperatorem. Quantum ad facta pertineat, docto- res omnes potentiam, vim, violentiam iuri obstantem con- queri, vbique repereris.

XI.

Post doctores, qui prorsus & plane Longobardicam doctrinam de feloniam ad statum imperii principum adplicari posse contendunt, prodeant nunc moderatiores alteri, suarumque rationum, cur minimum maiora delicta ex illa lege iudicari censeant, momenta exponant. Quod ceteris crassiori Minerua sentientibus non consentiant, causam hanc dicunt, quoniam summa principum iura adeo duris legibus alligari nequeant, remissam esse illam legis duritatem. Cum tamen dudum Longobardicæ consuetudines in communis iuris vim abierint, par esse, ut remissio legis non in eius plenam abolitionem exeat. Legem quippe religiose obseruandam esse, donec contraria lege ipsi derogatum esse constiterit. Ipsam imperii obseruantiam testari, minime in feudilibus delictis iudicandis & puniendis Longobardicæ legi renunciatum esse. Nihil aliud permittere feudalem Germanicæ reipublicæ statum, quam ut peccata in illum membrorum arctissimum nexum lege vindicentur. Qua alia fieri autem id posse? quærunt; nisi Longobardica, aut omnino Romana civili lege. Sane ergo dubium non esse, ut maiestatis rei lege vtraque damnentur: si vel con-

Moderatiores adplicacionis huius doctrinæ momenta.

philos.

40

tra Cæsaris consiliarios crimen admissum fuerit. Si status imperii nimium desæuierit in potestati eius subiectos, aut latrones publicæque pacis turbatores receptauerit; non minus recte illi feuda imperii abiudicari: quod exemplis quibusdam recentioribus satis probatum fuerit. Ipsam feudi alienationem, quæ Longobardica consuetudine legeque in crimen cadat, ex illa puniri, si princeps aliquis talia ausus fuerit. Nec adeoque tantum feloniam haberi crimen in imperatorem & imperium ipsum directo commissum; sed omne etiam reliquum, quod Longobardica lex incuset, modo non leuiculum sit, eiusque vindicatio summæ principis dignitati inconueniens. Ita fatentur esse leuiores quasdam causas, in quibus ineptum futurum sit, si Longobardici iuris minutia obseruentur. *Communibus quidem feudorum regulis imperialia beneficia hac in parte regulariter æstimanda credi; at relinqui strenuo iureconsulto, ut illos casus definiat atque expediat, in quibus ex diuerso standum fuerit. De domini feloniam ex Longobardico iure æstimanda parum diuersum memorant etiam illi, qui in feloniam principum statuumque aduersus imperatorem commissa moderatori fauent sententiæ. Ius esse æquum-*

æquumque afferunt, vt, quoties tutelam atque protectionem aliquis alterius susceperit, eam præstet, & non præstans spoliatur commodis, quæ alioquin ad ipsum manare potuerant. Cum etiam in hac causa Longobardico iuri non sit derogatum, eius generalem receptionem suadere, vt ex eius præscriptis quouis emergente casu feramus sententiam. (v)

XII.

Haftenus satis de Longobardicæ doctrinæ de felonia siue crassiori, siue moderatori ad principum

III.
Longo-
bardicæ
doctrinæ

E 3

(v) Auctores paulo supra in *nota litt. o.* allegati, præcipue Iterus, cuius subinde propria verba adduxi, pleni sunt harum ratiocinationum. Menochius *lib. 1. conf. 99. num. 25.* sequi. & ex eo Iterus *cap. XXIV. n. 5.* ex *L. quisquis C. ad L. Jul. Maies.* imperii vasallum priuandum feudo censet, si imperatoris consiliarium iniuria affecerit. Si feuerit in subditos, Carpzovius de *L. Reg. cap. XIII. sect. 3. n. 15.* non minus felonix pœnam ipsi indicit. Ab Itero princeps receptor latronum muldatur feudo, idque exemplo quodam in Flandria admisso confirmatur. Ioh. Strauchius *Inst. 1. P. lib. 1. tit. 20. §. 5.* de causis, ob quas imperii vasallus feudo possit priuari, generalem regulam tradit; quod, qui feudo imperii indignus sit, multo magis iure ciuitatis & ordinum imperii excidat. Quæ summa harum aliarumque rationum extendit, licet minuta Longobardica felonia nec in vasallo imperii, nec in domino admodum attendatur aut puniatur: at in maioribus delictis vindicandis tutam tamen sartamque Longobardici iuris perstare auctoritatem.

Sedes moderatiorum ratiocinationum.

philos.

40

*adplications
onis confutatio.*

cipum nostrorum iura adplicatione, doctoribus vulgo solenni, constitit. Nunc tertia tractationis parte declarandum, omnem illum commemoratum usum vere in abusum incidere, parumque oppido aut nihil fere Longobardicis hisce placitis cum summis principum iuribus esse commercii. Primum in hoc argumento confutabimus doctorum vulgares sententias; deindeque contrariam veramque doctrinam, quasi leue supplementum tractationis nostræ, breuiter stabiliemus. In ipsa Longobardica doctrina monemus nihil. Proposuius eam, qualis a Longobardico doctore tradita, atque a nostris iureconsultis probata & in ordinem redacta est. Si quæ dubia in ea oriuntur, illa soluere nostra hoc loco nihil refert. Valeat illa per nos licet in Italia. Valeat, si qui etiam id volunt, vbi recepta in Germaniæ provinciis demonstrari possit ex usu; qui quidem semper, vti supra ostendi, dubius, nec saltem nisi præposterus futurus est. Ad nos pertinet tantum inquirere atque examinare, quem usum, probum improbumne, doctrinæ illius in imperii feudis doctores nostri fecerint? Reperimus duplicem usum, & crassiolem & moderatiorem. Pinguior crassiorque doctrinæ usus totam ad principum nostros

nostrorum iura, ita vt ostendimus, adplicat, & hæc ex illa in feloniam æstimatione & pœna prorsus pendere constituit: quod ita videtur & in beneficiariis vasalli, & domini ipsius delictis. Quasnam quidem possit hæc cruda sententia proferre causas, pro ea, qua potui maxima probabilitate, collegi & tradidi. Si quas magis idoneas, præter eas, quas produximus, rationes inueniri atque opinioni prætexi potuisse doctores putauerint, nobis condonent, quod diuinare aliam eorum mentem non potuerimus; prætereaque, cum uoluerint causæ patrocinium agere, alias digniores causas afferant, quibus non minus conuellendis nostram sententiam olim reddere queamus securiorem.

XIII.

Argumentari mihi primum videntur doctores a minori, quod aiunt, ad maius. Si in ceteris beneficiis Longobardica de delictis præcepta cum non adeo magna dominorum potestate tamen ualent, quo magis valeant in imperio, in quo longe maxima Caesaris potestas atque maiestas est. Verum & principium hoc impugno, & simul conclusionem non ex necessaria consecutione fluere adseuero. Falsum est, Longobardicam doctrinam

*Pinguioris
adplicati-
onis debi-
les & in-
firma ra-
tiones.*

philos.

40

nam de feloniam in ceteris Germaniæ beneficiis prorsus & vbique valere. Quædam eius obseruantur, non qua sunt plene Longobardica, sed qua potius Germanica præcepta. Generatim etiam alias constitui, non pro proprio communi iure posse in Germaniæ vilo foro Longobardicum ius haberi sine singulari & amplissima probatione; vnde rectius tutiusque non tam probationis, quam confirmationis & illustrationis, quæ non ingratiis admittitur, causa allegari debeat. Fac esse vero veram primam propositionem, id minime consequitur, quod in ceteris beneficiis valeat, valere etiam in beneficiis imperii. Illa in Germania nostra pleraque non feudali tantum dominio, sed & potestati plenæ sunt subiecta. Vis omnia, quæ principi iuste licent in eius potestati subiectos clientes, ad imperii vasallos, summos, liberos, ipsos & in ditionibus & in imperio dominos applicata? Falleris profecto immensum quantum. In beneficiis minoribus vasalli parentes tantum sunt. In imperii feudis imperantes principes libero nexu coniunguntur; & vt hic paulo fit adstrictior, beneficii nomine possident regiones, re ipsa suo propemodum iure atque arbitrio. In ditionibus dant leges, quas omnes accipiunt. In imperio

*A minori-
bus feudis
ad impe-
rialia nul-
ta conse-
cutio.*

imperio habent, quas volunt, & quibus ipsi confenserunt, non alias leges. Quo magis illi ergo a vero aberrant, qui tantam crepant in Augusto imperatore maiestatem, cui non fecius ac minores vasalli principibus, hi etiam in vniuersum subiecti sint. Ipse potestati tali renunciat in capitulationibus imperator. Respuit nostrum æuum, omnisque imperii nostri status, illas veterum de imperii monarchia nenas. Has exhibilant hodie prudentiores, regiæque, quam dixerint, legi aperte illudunt. Vt proinde sit futurum nimium, si quod inde etiam petitur in causa nostra argumentum, pluribus persequutus fuero. (x)

XIV.

Sed aiunt doctores, ipsæ in Longobardico
F libro

(x) Reinkingii, Aurumæi, Schutzi, alii doctores Germanicæ monarchiæ patroni, principiis publici iuris hodie rectius exploratis, exciderunt propemodum omni fide atque auctoritate. Sane qui in Longobardicæ doctrinæ ad imperii statum adplicatione illis doctorum principiis innituntur, omnium saniori iudicio petunt, quod philosophi dicunt, principium, atque pro certo constituunt, quod nemo status imperii paulo peritior non impugnat, non dubitat, imo non prorsus negat. Qui poterit vero doctrina fundo huic arenaceo superstructa tura esse? Mitto multa alia, quæ in hanc causam commode haberem dicere.

philos.

40

Leges imperatorum feudales Longobardica ad Germaniam parum aut nihil pertinent.

libro imperatorum sanctiones delictis feudali-
bus pœnam decernunt, *Alemanniam* diserte ob-
ligant, & præterea tacite probant, quas alias
consuetudines vsus ratione pœnarum feloniam
induxerit. (y) Nec istud censeo crudæ appli-
cationi Longobardicæ doctrinæ ad imperii feu-
da ullam conciliare vel speciem probabilitatis,
nedum veritatis. Exhibentur quidem, quod
nemo negat, quædam imperatorum leges. At
in quibus

Constitutiones Imperiales feudales sunt vere Italicae.

(y) Constitutiones Conradi, Lotharii, Friderici, imperatorum in feudorum Longobardico secundo libro satis obuia. Pleraque autem ita sancitæ, vt clarissime constet, Italiae scriptas imperatasque esse leges. Vid. II. F. 52. ibi, *dum apud Ronchalias secundum antiquorum imperatorum consuetudinem pro iustitia ac pace REGNI, nempe Italiae, componenda consideremus.* Generatim in hanc etiam causam quadrare puto illud Ottonis de S. Bl. cap. XIV. *Fridericus imperator conuocatis omnibus ITALICIS BARONIBVS generalem curiam apud Ronchalias cum maximo principum conuentu celebravit, ibique renouatis antiquis legibus, novas de suo promulgavit, ac diuersis imperii negotiis expeditis, iura desueta in consuetudinem reduxit, & QVO IVRIS GENERE CIVITATES ITALICAE SVBIACERENT IMPERIO, iudicialiter exquisiuit.* Semel quidem & iterum in Friderici legibus occurrit mentio Alemannia. Ita II. F. 55. §. 1. *Firmiter statuimus tam in Italia, quam in Alemannia?* Sed præter illa, quæ in dissertatione monemus, longe magis videtur antepositum præter morem Italiae vocabulum ostendere, proprie Italiae omnes illas leges deberi; vt adeo nulla obligatione Alemannia teneatur, nisi vbi diserte fuerit simul nominata,

Quales sunt constitutiones Alemannia?

quibus lata? Sane solis Italis, non Germanis: quibus leges ferre solis imperatoribus, inconsultis imperii ordinibus, nunquam licuit. Cum ipsæ adeoque illæ sanctiones ad Germaniam nihil pertineant; quid tacitam reliquarum Longobardicarum consuetudinum in Germaniam introductionem & adprobationem prædicabimus? At, inquis, te teneo. Nonne diserte *Alemannia* in legibus aliquoties mentio facta, quæ legibus iisdem viuere debeat? Hoc vltimum, respondebo, nec imperator voluit aut iussit, nec potuit velle aut iubere. *Alemannia* scio mentionem alicubi factam esse. Sed dubitetur fortassis, si quando vox *Alemannia* in Italicis legibus semel aut iterum occurrat, quam *Fridericus* imperator putet *Alemanniam*, *Germaniam*, vtrum suam *Sueuiam*? quam vtramque *Alemanniam* tunc vocare moris erat. *Fridericus* autem fuit simul dux *Alemannia*. Deinde in constitutione de Romana expeditione diserte minorum tantum feudorum, quod verba declarant, ratio habetur. Vt, si omnino ad *Germaniam* in transitu prouocetur, minora in ea beneficia quodammodo eodem iure in isto casu, minime vero in similibus aliis, cenferi dicendum

endum fuerit. Nominatio vero minorum feudorum diferte facta, excipere videtur maiora & regalia beneficia. Quas denique reliquas Friderici leges Cuiacius feudorum libris adiecit, Noribergæ Constantiæque adeoque in Germania consensuque principum haud dubie latas scimus. Quæ si etiam valent in Germania, parum tamen de feudis, nedum Italico in Germania more censendis, sed de publica pace religiose seruanda disponunt. Vnde ex earum etiam obseruatione non nisi ineptissime ad probationem, aut introductionem, nedum ad iustam Longobardicorum feudorum ad imperii magna beneficia adplicationem consecutio traheretur.

XV.

Rationes a Longobardici iuris natura communis iuris perite frustraneæ sunt.

Quæ sequuntur in turba rationes inde petite, quod dudum Longobardicum ius pro proprio communique in Germania habitum sit; omnes hoc principio supra a nobis impulsio corruunt. Longobardicum ius nunquam vim virtutemque proprii communisque in Germania iuris obtinuit. Quod cum sit, quanto magis aberrat a vero sententia, quæ ipsi publico iuri principia illud subministrare constituit. Scio hanc

hanc frequentem esse doctorum etiam maximorum doctrinam. At ea quo frequentior, eo impendio periculosior. Si omnino, quod addo, euicta esset Longobardici iuris in Germaniæ foris auctoritas; cum tamen tunc minora tantum beneficia respiceret, non minus inique publici iuris turbaret fines. Ipsius Germanici beneficiarii iuris hunc abusum esse censeo, si crude ad maiora imperii feuda, cum in minoribus obseruetur, applicatum fuerit. Quo longius adeoque abesse iubeamus Longobardica placita ab imperii nostri publicis iuribus. Demus denique, quædam Longobardica in imperio iura vñ recepta esse: quod tamen aut nunquam, aut præpostere factum esse satis hætenus constitit: nemo profecto probauerit, si a certis paucisque quibusdam iuribus, vnde nulla damna imperio erant oritura, & vbi Germanicis iuribus repugnaret prorsus nihil, ad reliquorum omnium, quæ maximo insignique damno futura erant, tacitam adprobationem aliquis concluderit. (z) Quod in adductis exemplis
F 3
poni

(z) Si omnino Longobardici iuris cultores aliquem illius vñm Longobardici iuris maiordocirinalis postulant, hunc seruent, qui decori aut commodo imperii

philos.

40

*Exempla
nihil pro-
bant.*

poni posse opinionis robur videatur, re penitius perspecta prorsus nullum est. Tria in exemplis hęcce prorsus nego, & negandi rationes dico. Nego vllum horum exemplorum iustum solumque feudale delictum ostendere; atque in omnibus potius lasa pacis laxatique rei-publicaę vinculi crimen pœnamque conspici, fidenter asseuero. Nego porro vsquam Longobardicis legibus, quæ quidem exemplorum quorundam ætate longe sunt recentiores, in illis casibus locum auctoritatemque fuisse; & potius vbique Germanicis publicisque iuribus ista crimina esse æstimata atque punita censeo. Nego denique, vetustiora illa exempla multum cum recentiori statu imperii habere commercii; hodieque mutato statu mutatis publicis iuribus opus fuisse noui. Quam triplicem negatiuam sententiam dum modo paucis vltra defendero, facile cuilibet adparebit, quam parum Longobardicis

usus licitus.

maiorum feudorum possit inseruire. Quæ fauorabilia in illo iure vasallis statuta sunt, doctrinæ causa declarent, longe magis ea imperii statibus deberi. Ceterum, si volent, in Germanicorum iurium subsidium, aut potius illustrationem, Longobardicas leges, sed doctrinæ, non communis iuris statuendi causa aduocent. Quod idem iam fuisse Præses in *Obs. II. num. 8. pag. 138.*

bardicis iuribus cum delictis statuum imperii siue iudicandis siue puniendis conueniat.

XVI.

Feudale delictum, quod feloniam adpellamus, describunt doctores, quod sit omne id, quod contra iuramentum fidelitatis a vasallo actum sit; alii, quod sit *ingratiudo in dominum*.

Feloniam pœnam aliam nullam nouit beneficium ius, nisi amissionem feudi. Nunc exem-

pla producta examinando, ægre vnicum puto ad solam feloniam eiusque pœnam pertinere.

Tassilo Bauarus læsæ maiestatis, fractæ pacis, rebellionis, crebrique periurii accusatus Bauarica lege non tam dignitate feudoque priuatus, sed potius capitis damnatus est. Arnulphi filii

non ideo priuati prouincia & in exsilium deportati sunt, quia inuestituram non petierint,

sed quia proprio ausu occupassent dignitatem, nouasque res moliti esse dicerentur. Henrici

Superbus atque Leo ambitione atque insolentia principum omnium odia concitauerant, infestique reipublicæ non feloniam, sed laxati vinculi,

quo imperii inuicem membra copulantur, pœnas vnanimi Cæsaris ordinumque consensu

dederunt. Vnicum fere exemplum Halbersta-

diensis

Nullum
adducto-
rum ex-
emplorum
veram fe-
loniam in-
dolem
ostendit,

diensis atque Bremensis pontificum videtur ad feloniam eiusque Longobardicam pœnam propius accedere. Sed non minus ab istis contra publica iura, comitorumque decreta, & de Romana expeditione constitutiones actum, non Longobardica, sed Germanicis legibus definita pœna vindicatum est. Ottonis Wittelsbacensis & Friderici Isenburgii parricidia non feudalia delicta reputata: sed vterque facinorosorum, & alter quidem diserte Bauarica lege, capitis damnati castique, prætereaque bona omnia in fiscum redacta sunt. En ergo, quam imperator & principes in omnes hosce non feloniam, sed publica reipublicæque salutis infesta crimina vlti sint! Licet omnino sancito iusto fœdere violatæ fidei commissæque iniuriæ ab ipsis fœderatis pœnam reposcere. (a) Quo magis id publica iura tum suadebant atque imperabant, cum principes, nulla adhuc territoriali superioritate, quam vocant, cognita, saltem ægre stabiliri cœpta, adhuc solis fungerentur officiis, duplicique adeo vinculo coniuncti essent imperio, vno officii, altero

*sed publica in rem-
publ. commissæ
crimina publice
vindicata.*

*Fœderis
iura.*

(a) Quo iure fœderatus alterum in æquali, nedum in inæquali fœdere, possit cogere, aut omnino punire, eleganter docet H. Grotius I. B. & P. lib. 1. cap. 3. num. 21.

altero feudi aut omnino subiectionis. Qui enim summa deinceps potestate in prouinciis stabilita quodammodo fœderatorum instar coniungebantur; antea magis subditorum in vicem, & erant quidem cum imperatore in comitiis optimatum instar in regimine & imperio, sed extra comitia, quod fit in aristocratia, singuli parebant omnibus aut toti imperio. Cum hodie vero magis ex fœderis legibus principes nostri turbata publica pace, violatisque publicis imperii iuribus, proscriptione soleant ab imperatore & ceteris quasi fœderatis ordinibus puniri, atque quodammodo ex fœdere eiici atque expelli. Quo magis antiquiori tempore ex iisdem causis licuit & conuenit imperio in ordines, non tam feloniam reos & vassallos, quam subditos, publicorum & in certum totius reipublicæ exitium spectantium criminum conuictos publice animaduertere. Vnde prius, quod postulauimus, satis modo videtur euictum, non in omnibus hisce exemplis, aut eorum vnico, veram feloniam aut propriam feloniam pœnam designari.

XVII.

Quod nunc porro docendum est, neutrum

G exem-

Longobardici iuris nulla in hisce exemplis observantia.

exemplorum horum vel solum vestigium ostendit, Longobardica lege publica illa principum delicta plane aestimata punitaque esse. Ante Sec. XIII. ægre Longobardica feudalia iura in Germania cognita, nedum ita probata sunt, vt vllæ vel minores in prouinciis causæ ex illis diiudicarentur. Italos habebant Germani ex parentium & subditorum numero. (b) Qui putemus illorum iuribus, cum tanta fuorum patriorum iurium præstantia, hos vti voluisse? De imperii statibus res impendio magis futura absurda, si vel aliquis cogitauerit, illorum delictis ex Longobardico iure dictatas esse pœnas. Iura adeoque, ex quibus delicta principum tunc iudicari solita, fuerunt & imperii & prouinciarum publica iura. Laudatas repereris Francicas, Sueuicas, Bauaricasque leges, ex quibus delicta publica aestimare solenne fuerit. Ne ipsum quidem beneficiarium Germanicum commune ius ad causas illustres adplicari consueuisse arbitror: licet ex eo in minorum feudorum causis redderentur iura. Quoniam enim
semper

(b) Vide Ortonis de S. Blasio testimonium supra *lit. y.* adductum, & confer de dissimilimis Italia & Germaniæ formulis Præsidis *Obseru. II. num. 3. pag. 67. 68.*

semper fere, quod docuimus, illustres causæ totum imperii nexum non feuda sola respexerunt, videbatur iam tum inconueniens, ex beneficiario priuato iure actiones hasce instituire. Si iam tum vero id inconueniens putabatur, vt illustres causæ ex solo beneficiario iure, non Longobardico dicam, sed omnino Germanico instruerentur: quid putamus, vt ad tertiam negationem probandam progrediamur, mutato hodie rerum statu magis absurdum esse, ac si quis feudalia principum delicta horumque pœnas Longobardico feudali iuri subiecerit? Namque ponamus, olim ex beneficiario communi Germanico iure illa paulo antea proposita publica delicta esse æstimata. Fac esse etiam tunc aliquando Longobardico iuri datum locum. Confidenter tamen semper tuebor sententiam meam, quæ olim fortassis potuerint hac in causa concedi, minime mutatis principum iuribus hodie admissum iri. Qui erant quæso illis prioribus seculis principes, nisi quodammodo superiores magistratus salarii loco feudis donati? Si quid licuit in illos, & ægre licuit, minime id putemus licere in nostros principes terrarum ditionumque dominos, & summa propemodum

Antiquiora exempla mutatio rerum statui male conueniunt.

maiestate, quod de electoribus & potentioribus principibus certum est, conspicuos. Quodsi vero iam de illis antiquiorum & impotentiorum principum delictis prorsus constitit, publico ea imperii non beneficiario communi iure vindicata esse: multo magis nunc crassa Longobardici iuris ad delicta principum doctorum adplicatio ex ipsis exemplis ei prætexitis non leuis erroris sit manifesta, & ubique certum manet, perexiguum aut nullum omnino illi Longobardico iuri in imperii iuribus esse locum, raram nullamue auctoritatem, omnemque saltem eius in causis hisce legalem vsum merum abusum esse.

XIIX.

*Felonie
domini ex
statu im-
perii pro-
scriptio,*

Sane principii eiusdem, quod aliquoties ingeminaui, veritatem porro nunc declarabit, quæ sequitur Longobardicæ de feloniam domini doctrinæ ad principum nostrorum statum crassioris adplicationis consideratio. Quis quæso dominorum in imperio committeret feloniam? Num Augustus Imperator? Ille solus ne potest quidem feudorum imperii absolutus dominus dici, nisi cum imperio. Nec potest adeoque ille vel ex communi doctrina vquam feloniam reus

reus fieri; errantque insigniter, qui de feloniam eius præcipuo effectu disputant. Quando impune ei non paretur imo & resistitur, non in feloniam id ab imperii ordinibus fit vindictam; sed pro iurium defensione, quam statibus libero quodammodo arbitrio inter se coniunctis contra ipsum imperatorem, si hostilem inimicumque gesserit animum, nemo sanus denegaverit. Sed imperii principes, dices, veri domini sunt, & quod accedit, qui superiorem dominum nempe imperatorem habent: num hoste feloniam veram committere posse dubitabimus? Ego vero, quo minus dubitandum mihi fuerit, idoneas optarem rationes. Quod ais, *ex ipsa doctrina debilitate confirmata.* mutuam inter dominum & clientem ut semper, sic etiam in Germania intercedere obligationem, vnoque ab ea recedente liberari a nexu etiam alterum: id concederem, si obligatio ista æqualis foret, ex eodemque fonte orta dici posset. Sed dum obligatio clientis ex collato & accepto beneficio oritur, adeoque necessaria quodammodo est: sane domini obligatio est tantummodo spontanea, & ex clientela suscepta, beneficioque dato trahit originem. Hic in se recipit clientis defensionem, omnemque

G 3

ei affe-

philos.

40

ei affectum generoso animo præstat; nullam vero fidem, ut vassallus, spondet, aut omnino iurat: Verum obiicit, per seruitia præstita vassallus sibi necessariam domini obligationem acquirit, quodque postulat beneficium collatum a cliente, idem deinde seruitiorum præstatio exigit a domino. Magnam autem disparilitatem vtriusque obligationis semper manere adsevero. Qui perpetuo affectus est beneficio & quidem conditionali, perpetua etiam atque necessaria obligatione obstrictus manet. Contra dominus, qui seruitia accipit, parum ultra debet ei, qui beneficio quasi mercede conductus seruit: tantum abest, ut perpetuam defensionem fidemque vassallo non præstando, prorsus excidat dominio feudi, quod sub conditione seruitiorum præstandorum alteri contulit. Oppones fortassis oblata feuda, & in iis saltem admittendam postules Longobardicam de feloniam domini doctrinam. Sed oblationem nunquam sine causa factam esse scio: & ut iuste honesteque faciat dominus vassallum tuendo & fouendo, ita non tamen arbitror mulctari posse, si non iustitiæ regulis plene satisfecisse videatur. Semper scilicet, si paucas oblatorum feudorum, quæ

quæ huius loci esse nequeunt, species exceperis, manet illa inter domini atque clientis conditionem, obligationem, atque fidem disparilitas. Nonne vero lex est, licet dura, quam sequi conuenit? Ego nego vero legem esse siue in Italia, siue in Germania. In Italia consuetudo fuit: quam ea rationabilis? non modo disputabo. In Germania ne consuetudo quidem est, nedum lex: vt male adeoque necessitate legis illepidæ Longobardicæ doctrinæ adplicationi quæratu[r] siue species, siue fucus. (c) Cum

omnis

(c) Doctrina de feloniam domini magno doctorum consensu probata, passimque ad imperii statum adplicata est. Doctores quosdam & veteres & recentiores, opinionis patronos, iam supra laudauimus. Prætermisissos silentio non ex secta illa dominorum iuribus infesta atque inimica eximimus. Sed hoc monemus, iamdiu multis totam hanc doctrinam suspectam visam esse, nedum eius ad statum imperii adplicationem intolerabilem. Dubitarunt sane de eius firmitate Vulteius de Feud. lib. I. cap. u. num. 52. fin. Knichenius in trakt. de vestit. pact. P. II. cap. 5. n. 249. sequi. Huld. Eubenius in Elect. I. F. cap. XI. §. 10. lin. fin. Postremum non vltra de ea dubitandum, sed prorsus doctrinam cum eius adplicatione omni reprobandam atque reiiciendam idoneis argumentis perdocuit, a Thomasio atque late declarauit Ill. Thomasius in eruditissima dissertatione de Felonia Domini. Idem diff. d. num. XXVII. exemplam passim auctoribus laudata examinauit atque argumenta inde peti solita exposuit ac confutauit: vt adeo otio hoc nobis factio, breuioribus nobis hac in causa esse, & eruditum lectorem ad ipsam Thomasius dissertationem ablegare liceat.

Doctrina
de feloniam
domini iam
aliis suspen-
sa visa,

a Thomasio
plane de-
scripta.

omnis scilicet Longobardici iuris legalis vsus fere in merum abusum incidat; quo magis hoc nomine censeatur ille vsus, quem ipsa propemodum, quod ostendi, ratio destituit.

XIX.

*Rationes
imperii
prorsus
repugnant
illi doctri-
nae:*

Nunc porro vero ostendimus, totum Germaniæ statum illi vsui Longobardicæ doctrinæ repugnare, frustra que ei exempla adducta patrocinari. Postquam principes nostri terrarum domini facti sunt, summaque in territoriis gaudent potestate, duplici nouimus vinculo Landfaffios, quos patrio vocabulo compellabimus, vassallos principibus nostris obstrictos obligatosque esse; vno fidei feudalis, altero subiectionis. Postremus nexus plane facit, vt qui alioquin cum specie quadam veritatis Longobardicam doctrinam ostentassent, in Germania tamen continuo exhibilandi sint. Ponamus dominum, qui tantum feudi foret dominus, ob felonix crimen, quod magis vero commentitium vocauerim, posse feudi dominio excidere. Fac id esse & probari alibi. Germania tamen respuet doctrinam hancce, territoriali potestati, cuius plena confirmatio tanti sanguinis constitit, adprime infestam, inimicam atque noxiam. Pudeat ergo doctores nostros, qui sola

sola peregrinorum iurium veneratione ducti non erubescunt doctrinas crepare, quæ adeo manifesto imperii iuribus sunt contrariæ, & cum tanto statuum præiudicio coniunctæ. Quod pertinet ad exempla, eorum neutrum vllam probabilitatem insipidæ doctrinæ adfricat. Caroli V. imperatoris prouocationem ad Longobardica placita Sleidano scriptori deberi scio, aut aliis, qui causam imperatoris ex iustitiæ capite defendere parati erant. His cum extra iudicium, quod in his causis nullum esse poterat, res ventilaretur, defensionem probabilem dare causam Longobardica doctrina visa; ad quam prouocant adeo, non quod veram, sed quod scriptam reperissent. Rectius ius belli, ex quo licent in hostem, quæ vsquam licent, allegassent: vnde profecto satis ampla Cæsaris causæ poterat adparari defensio. Vlrici, VVurtembergici ducis, actio Ferdinando intentata frustra fuit: rei exiguas rationes ipsis imperii iudiciis continuo agnoscentibus, adeoque adhuc magis Longobardicarum doctrinarum vsui derogantibus. Meursiæ etiam comitis actio tota a camerali iudicio statim reiecta est: nouo, quam parum istis doctrinis publice tribuatur aut fidatur, argumento. Et hæc habuimus de crassiori Longobardicæ

*nec eam
 exempla
 prolata
 vel mini-
 mum de-
 fendunt.*

H

dicæ

philos.

70

dicae doctrinae adplicatione, quae breuiter commemoraremus.

XX.

*Moderati-
orum do-
ctorum
sententia
non magis
ac altera
probabilis.*

Ad moderatiorum doctorum rationes, quas produximus, reponendum post haec scripta haud adeo multum habemus. Recte vident, minora feudalia delicta non conuenire ex Longobardicis praecipis aestimare. Sed quam addunt rationem, ob potentiam principum duritatem nimiam legis remissam esse; oppido eam ineptam iudicamus. Non verae legis vnquam vim Longobardica doctrina habuit in Germania: qui remissa potuerint esse duriora? a quo etiam, & quando? Non ergo minora delicta curata, quia beneficiariis consuetudinibus atque legibus, non Longobardicis dicam, sed fere Germanicis, nunquam imperii feuda potuerunt censi; quippe quae solo propemodum, ita vt diximus, publice iure constiterent. Quo minus se nobis probare possunt doctorum reliqua monita. Quod aiunt ad plenam legis abolitionem non protendendam fore remissionem; nil ad probandam rem facit, dum prorsus euicimus, nullius verum nedum proprii & communis iuris virtutem Longobard-

gobardicam doctrinam in Germania vnquam
obtinuisse. Est itaque nihil remissum, & abo-
litio frustra metuitur legis, quæ plane apud nos
nulla est. Quod de imperii obseruantia, & feu-
dali Germaniæ statu monetur, alibi reprobauim-
us. Obseruantia imperii, vbi plane ex Lon-
gobardica lege aut consuetudine fuerit in illu-
stribus causis imperii iudicatum, feudum statui
ob Longobardicum aliquod delictum ademptum,
nec ei iudicio contradicendum, non valde me me-
mini exemplum legisse. Demus ad feudalia iu-
ra prouocatum esse. Non continuo fuerunt
Longobardica, sed Germanica publica; quæ,
quod ad feuda illustria adplicarentur, poterant
vtique feudalia compellari. Paria subinde in
Germanicis institutis feudalibus atque in Lon-
gobardicis consuetudinibus de delictis præcepta
occurrere, nemo nescit, nec miratur. Vere ta-
men status Germaniæ principum feudalis publi-
cus est, publicisque stat legibus atque institutis.
Vt delicta ingentia statuum vindicentur, postu-
lat Germaniæ non tam feudalis, sed magis pu-
blicus status, qui impunitis pacis publicorum-
que iurium violatoribus manentibus laeuis ultra

H 2

durare

durare non posset. (d) Romana lege læsæ maiestatis damnari statum posse, qui Cæsaris ministros iniuria affecerit, non dubito, sed nego. Romana monarchia male in Germanico imperio quæritur. Latronum receptio, in subditos sæuitia atque inclementia, publica quidem principeque indigna sunt delicta. Si vero vindicarentur, feudalis iuris præcepta incommode in partes traheres. At nec memini etiam huius rei causa, nisi sæuitia fuerit insignis, principi cuidam intentatam esse actionem, nedum feudi priuationem esse decretam. Quæque afferuntur exempla, huc non quadrare, facile patet. (e) In
 ipsis

Tirii feloniam.

(d) Egregie in hanc causam scripseris reperio cordatum ICtum B. Titium *Spec. I. P. lib. IV. cap. 8. n. 3. pag. 463.* *Quæ de delicto seu feloniam ex iure feudali Longobardico afferuntur, libertati procerum Germanicorum vix conueniunt: hinc putem, statum imperii non aliter territorio priuari posse, quam si hostilem plane erga Rempublicam induat animum. Quod si fiat, tum ex publicis imperii non feudorum Longobardicis iuribus hostilem istum animum vindicandum fore, facile omnes colligunt.*

Examen exemplorum quorundam vindictæ feloniam.

(e) Superiori nota *litt. v.* citatus Iterus, qui & crimen læsæ maiestatis a principe committi dicat, cum consiliarium imperatoris violarit; & ab eodem feudi recte iacturam fieri, si latrones susceperit. Quantum pertinet ad prius, ægre putem

ipsis alienationibus feudorum regalium beneficiariis regulis parum aut nullum locum relinqui,
 H 3 contra

tem exemplum repertum iri, quod Itteri assertioni fidem faciat. In posteriori casu prouocat Itterus ad Guilielmi comitis exemplum, qui teste Gualtero Taruanensi in *Vita Caroli Com. Flandrie cap. XXXVII.* ob huius Caroli cadem Alardi Warnestinenfis beneficiis manum intulerit, quod hic Alardus ex Caroli percussoribus vnum receptauerit. Ego vero valde adhuc dubito, an Guilielmus comes Longobardica lege, imo vtrum omnino iuste Alardum ob illam causam feudo priuauerit? Si tamen vtrumque probaueris, quod, vt vnquam fieri possit, metuo, nil prorsus ab hoc exemplo ad imperii feuda valebit consecutio. Alardus comitis vasallus erat. Multa vero, quod frequenter monuimus, non tam Longobardico quam Germanico beneficiario iure commode dominus territoriique princeps in minoribus vasallis vlciscentur & vindicabit; quæ minime iuste imperator principi magno vitio verterit, aut eius rei gratia feudalem poenam ipsi intendarit. Maiori fortassis probabilitatis specie Ioh. Friderici Gothani Saxoniae ducis exemplum aliquis in medium protulerit, qui ob nefariam Grumbachii & sociorum cohortem receptam proscripius feudisque priuatus est. At statim etiam occurrit, vnde scrupulus euelli queat. Nempe non tam feudale Iohannis Friderici ducis delictum fuit, quam nefaria proscripitorum contra imperium defensio, adeoque imperii iurium temeraria violatio atque impugnatio. Cui puniendæ & vlciscentæ non Longobardica de feloniam doctrina, sed ipsius imperii publicum ius occasionem dedit, atque eius rei necessitatem imperio quodammodo imposuit. Vt rursus adeo nullum illa exempla momentum asserant, quod Longobardicæ doctrinæ iustam ad principum vel maiora delicta æstimandam & iudicandam probet atque ostendat adplicationem.

contra contrariam sententiam affirmantes doctores non difficiliter probari potest. Si omnino tutius princeps aliquis egerit, qui non inconsulto imperatore alienationem transegerit: id ei fuerit suadendum non ob Longobardicam, sed communem Germanicam beneficiariam doctrinam, quæ in minoribus feudis alienationibus plerumque legem scripsit. Non esse proinde, quod illi decernunt, opus duco strenuo iureconsulto, qui casus ex Longobardico iure ratione delictorum feudalium definiendos indicet, exploret, atque expediat. Postquam enim strenui iureconsulti hodie plerique dubitare incipiunt de Longobardici feudalis iuris in Germaniæ causis legali auctoritate; longe magis a se, veritate indies exploratiore, in posterum amovebunt provinciam de illustrium atque statuum delictis ex Longobardica doctrina statuendi atque iudicandi. Feloniam domini, cui ad principes adplicandæ etiam moderati alios doctores consensere, paulo antea examinaui, & doctrinam in Germania absurdam, noxiam atque immodestissimam demonstraui. Cui doctrinæ meæ addo, turpissime se dare non paucos doctores, qui potentiam dominorum principumque in causa

causa esse clamant, quo minus istiusmodi feloniam ex iure vindicetur. Nempe ita iniustos, perfidos, tyrannosque dixerint, qui huic iuri locum non dederint: quod commentitium ius, si vlla ratione valere posset, vera omnium turbarum, rebellionum, seditionumque materies, foecundaque in Germaniæ prouinciis scaturigo nasceretur. (f)

XXI.

(f) Grauiter Ill. Thomafius *disp. cit. num. XXIV.* accusat doctores *Male scommatibus* Longobardicæ de feloniam domini doctrinæ patronos; qui, dum *doctrinam de feloniam domini* vident ægre hanc doctrinam vnquam obseruatam aut obseruabilem esse, incusant, inclamantque potentiam violentiamque dominorum, quæ iustitia obstat atque omne ius peruertat. Eo magis hac censura puto opus fuisse, quo frequentior est iste doctorum mos, hoc colophone addito doctrinam illam absoluere. Sic Bitfchius *in Comm. ad II. Feud. 26. cap. domino. membr. 2. notab. 6.* collegit nec obscure probauit talia in dominos scommata, quibus ob non admissam doctrinam notandi veniant. Ex hoc genere sunt quod dominus feudi butyraceus deuoret vasallum etiam chalybeum; quod senior fidelis vasallum aneum conficiat; quæ præter alios doctores ingeminauit etiam omnino & Syracidis *cap. XIII. v. 3. 4.* testimonio explicauit Winzigerus *in Annotat. ad Strykii Ex. I. F. ad cap. XXIII. qu. 30. pag. 640.* Qui scriptores si nefaria assertorum horum hæc consecretaria agnoscerent, ipsi puto, inobseruatam summæ principum dignitati factam iniuriam, & insidiam ignominiam æquo animo, si saperent, detestarentur. Sed nouum etiam hoc exemplum est, quam imitatione & auctoritatis præiudicio turpes nefarii que erro-

pes

XXI.

Satisfactum est nostro instituto examini. Quam addimus breuissimam verioris doctrinæ delineationem, supplementi tantum instar, non pro iusta tractatione habendam fore monemus. Dum reprobauimus scilicet Longobardicæ præceptorum ad statuum delicta diiudicanda iniquam adplicationem, simulque vero confessi sumus, dari principum quædam delicta, & puniri etiam in imperio: clarius vtique & ex professo definiendum visum, quo iure illa vindicentur. Rem transeundo aliquoties tactam sic habe. Nexus ille, quo coniungitur totum imperium, fere talis est, quem fœderatæ ciuitates, a quibus summæ rerum vnus præficitur, repræsentant. Vt olim officii feudique nomine principes imperio adstricti essent, sic illius vel memoria obliterari cœpta, huius instituta solenniaque quædam conseruata. Tutissimum visum continendi imperii remedium, si omnes status feudi quodammodo lege imperatori atque imperio obligarentur. Feuda vero hæc, vti origine admodum a ceteris feudis

*Verior de
statuum
imperii
feudalibus
delictis
estimandis
sententia.*

res egregiorum iudiciorum pallio subinde tecti atque ornati in optimorum etiam doctorum irrepant commentarios.

feudis differunt atque discrepant, plane etiam diuersis constant atque perstant iuribus. Non sunt fere prorsus beneficia, maleque adeo beneficiorum ceterorum communi iure censentur. Sunt feuda nomine, ab essentia feudorum non etiam prorsus aliena, ceterum potius publica membrorum vincula, vniuersi imperii salutis causa probata. Vnde manifesta statim veritas adparet, publica iura horum feudorum, quorum nomine ille nexus notatur, esse vnicam regulam. Maius illa publica iura, cum ad feuda adplicentur, adpellare feudalia; indulgebimus nomen, modo error absit. Errorem dicimus, vbi feudalia hæc iura aliquis ex communibus minorum feudorum licet Germanicis legibus inconsiderate atque inconsulte definiuerit. Maximum errorem vocamus, si omnino Longobardicam doctrinam ad sacra hæc aliquis quasi legem regulamque feudorum adduxerit. Omnem huius legalem vsum a sacris statuum iuribus definiendis arcemus. Delicta dicimus, quæ variis modis improbe contra communem imperii nexum vnanimi omnium consensu sapientissime stabilitum ab vno alteroque statuum committuntur. Illa vindicanda sunt, non quate-

quatenus ad imperii feuda respiciunt, sed qua sacratissimum imperii nexum, pacem, concordiamque publicam laxant, turbant, conuellunt, destruunt. Qua ratione delicta illa ex diuersa sua natura & indole diuersæ sint æstimanda, docent iura publica; quæ scriptæ leges & vetus iuris non scripti obseruantia instruunt. Cetera, quæ vulgo censentur, feudalia minora delicta cauere solent status imperii; sed consuetudine, quam feudorum probatus vsus laudauit, commendauit, induxit, non, puto, necessario iure. Quod igitur si quid in hisce sit admissum, male illud existimo in numero delictorum continuo haberi; quorum quippe naturam & iura vnicus imperii nexus eiusque necessaria conseruatio definiunt. (g) Verum dignissimi huius argumenti vberiolem tractationem instituti nostri limites vltra non nunc admittunt. Veneramur summum numen, vt æternum perennent cuncta sacratissima imperii decora; vt floreat vigeatque
 alma

(g) Multa paucis dicta; sed multa etiam ampliori lumine utique digna & indigentia. Quod lumen, cum vice hac dictis addere variis causis prohibeamur, alii referuamus otio atque tempori.

alma in imperio nostro pax, concordia, muruaque, par atque vnanimis Augustissimi capitis & sociarum ciuitatum, serenissimorum quippe principum, vniuersorumque statuum, qua sacrorum imperii membrorum, in communem patriæ salutem consensio & conspiratio: vt denique per hanc omnibus singulisque in imperio facta saluaque atque integra sua iura persistent, atque ab omni corruptela, detrectatione, ambitione, inuidia & malevolentia immunia liberaque seruentur atque asserantur. Si quid ceterum academica huic per temporis angustiam paulo festiniori lucubratiuncula videatur inopinanti excidisse, quod maiestati, fastigio, iuribusque imperii non prorsus conueniat aut plane respondeat, id si omnino tale fuerit, non scriptum atque indictum volumus, & hanc mentem nostram publice protestamur.



I 2

COROL-

philos.

70

COROLLARIA.

I.
Longobardica vox *Capitaneorum* in imperii nostri principes minime quadrat.

II.

Vulgaris diuisionis vasallorum in *Ligios & Non ligios* fere nullus in imperii nostri statu usus est.

III.

Ecclesiastica feuda non sunt regulariter pro oblatishabenda,
nec

nec oblationem allegans se pro-
bandi onere recte eximit.

Oblata sub Conrado I. ducum
feuda meræ sunt fabulæ.

V.
Regulariter plus potest status
in suo territorio, quam impera-
tor in imperio.

VI.
Superioritatis territorialis e-
iusque iurium non restrictiva,
sed extensiva interpretatio sta-
tuenda.

VII. Cir-

VII.

Circulorum imperii constitutio cum priscis Germaniæ prouinciarum rationibus nihil commercii habet.

IIX.

Perpetua quarundam Germaniæ prouinciarum formula, vt aut plane mediatae, aut imediatae fuerint, purum putum commentum est.

B. L. corrigat & addat.

Pag. 5. lin. vlt. 1. *suffeceris.* pag. 11. lin. 2. not. 1. 1548. Adde verbis, Was das Lehn- Recht vermag, pauca quæ sequuntur, *und gebräuchig ist; & paulo antecedentia, die Lehen, wie an einen ieden Ort gebräuchig ist, zu leiben;* quibus additis generalitas priorum verborum fatis restringitur. Reliqua ipsi B. L. corrigenda festinabundi relinquimus.

* * *

Nocturna versare manu, versare diurna
 Egregios libros, est opus eximium :
 Hoc parit ingentes thesauros laudis, ho-
 nores,
 Pergratosque Deo, terricolisque viros.
 Ingenuas didicisti, HVYSSENE, fideliter
 artes,
 Doctis finxisti pectus & ora modis.
 Gratulor ergo TIBI, patriae, geminoque
 parenti :
 Dein iter innocuum, cunctaque fausta pre-
 cor.

N.L. Comes & Dn. a Zinzendorff
 & Pottendorff.

*Quando perfidiam, fraudesque dolos-
 que Vasalli,
 Perdocta pingis, Vir Generose, manu ;*
 K *Insimul*

philos.

90



*In simul eximii profers documenta la-
boris,
Teque doces Musis non temerasse
fidem.*

Gratulabundus fecit

Georgius Comes de Werthern.

Nobile praeceptum juris, pernobile Nostri
Clarius HVYSSIADAE reddidit inge-
nium.

Hoc opus aeternae laudis super aethera
tollet

Fama, decusque ingens obsequiosa da-
bit.

*Honori maxime generosi Dn. Respondentis pauca
hacc dicavit*

Carolus Mauritius Comes de Lynar.

GENE-

GENEROS. ET DOCTISS. RESPONDENTI
S. D.
PRAESES.

Quod Duisburgi coepisti Academicorum studiorum curriculum, Halae in Fridericiana feliciter es persequutus, & nunc in Leucorea nostra, in quam TE mihi nuper bonis auspiciis euocato fidum cum fratre TVO comitem praebuisti, summa cum bonorum omnium laude peragis atque emetiris. Placuit Illustri Parenti TVO, vt antequam Academicam vitam finire, egregiorum TVORVM profectum publicum me Praefide, quem per triennium studiorum ducem, assiduaeque industriae TVAE, ceterum honestissimae vitae testem habueras, specimen ederes. Id quam nunc laudabiliter praestiteris, electumque a nobis argumentum pro Serenissimorum imperii nostri principum statuumque reliquorum iuribus aduersus communes doctorum quorundam illis adprime infestas opinationes publice fortiterque defenderis atque adserueris, docta Vitemberga nostra, quae solenni actui interfuit, non sine TVI magna commendatione eruditionisque TVAE praedicatione pro me loquitur. Multam in praesenti poteram non simplici argumento TIBI abeunti gratulationem scribere, quam vero, ne laudibus, quas mereris, modestiam TVAM laedam, paucissimis Illustri Parenti TVO TIBIQVE nuncupo. Illi filium sua sponte ad optimas quasuis virtutes & disciplinas erectum, institutum, doctum atque imbutum, fortunaque adeo quauis dignissimum, TIBI optimum Parentem, cuius exemplis, monitis, consiliis, iusibus ad omnes laudes feliciter adspirasti & contendisti, utrique & clarissimae genti TVAE nouum decus atque ornamentum, quod egregia indeoles TVA promittit & pollicetur, gratulatorque. Summum numen spes Parentis, spes TVAS, spes familiae patriaeque TVAE, spes denique meas optimo & firmissimo argumento innixas impleat secundetque: nec deerit ynquam mihi laetandi gratulandique materies, quam Illustri Parentis, TVIQVE, vt cetera fileam, causa mihi nunquam non gratissimam exoptatissimamque futuram testor & spondeo. Dedi Vitembergae Id. Oct. c1o 1000 XIII.

Wer

70

philos.

Wer nach Gelehrsamkeit mit allem Fleiße trachtet /
Dabey sich wohl bemüht recht tugendhaftig zu leben /
Was lasterhaftig scheint vermeidet und verachtet /
Dem wird der Himmel stets den Lohn der Tugend geben.
Weil Er / Geehrtester Freund / sich also hat bezeigt /
Was Wunder / wenn das Glück Ihm stets wird seyn geneigt ?

C. H. S. G. V. H.

Sonner.

So wenig Sonn und Licht ohn allem Strahl und Schein,
Ja Gold und Diamant kan sonder Schimmer prangen,
So wenig können auch, ohn Ehre zu erlangen,
Geiß und Gelehrsamkeit in edlen Sinnen seyn :
Die Tugend lohnet stets mit Früchten ungemein,
Zu ihr kommt Ruhm und Ehr mit reichem Wohl gegangen,
Wenn wir durch ihren Trieb uns etwas unterfangen,
Muß uns oft unvermerckt ein ächtes Lob erfreun.
Hiervon, Geehrter Freund! kan DEIN Beginnen zeigen,
Das wohl von jedermann mit Recht zu loben ist,
Denn da am meisten Du auff Ruhm besessen bist,
So krönt die Tugend DEIN mit ihren Palmen-Zweigen.
Ich wünsche Glück darzu! mein Loben brauchst Du nicht,
Weil DEIN gelehrter Kiel vor mich das Urtheil spricht.

Mit diesen wenigen wolte seinen von vielen Jahren
her bekanten Freund beehren

L. WILHELM. PHILIP. von FLODROFF.

Nosse TVAS dotes, & TECum Nobilis *HVTSEN*
Viure coniuñcte copia facta fuit.
Noui quae debet quisquis TIBI praemia laudis,
Quae studiumque TVVM munera promeruit.
Gratulor ipse mihi, qui vidi praemia docta,
Cui tentare simul quae valeas licuit.
Qui dare cuncta potest, TIBI det constantia mentis
Gaudia, quod reliquum, fors bona TE recreet.

A. F. DE DAMM.

☉) : (☉


ULB Halle

3

005 708 540







2. D. B. V.
AVSPICIIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTORATVS SAXONICI HAEREDIS
ETC. ETC. ETC.

1718
16.
EXAMEN
LONGOBARDICAE
DOCTRINAE
DE
FELONIA
AD STATVS IMPERII
COMMVNITER ADPLICATAE

PRAESIDE
IACOBO CAROLO SPENER
IVR. D. ET P. P.
NON. OCTOBR. 1718
IN AVDITORIO IVRIDICO
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET
THEODORVS DE HVYSSEN
RESPONDENS.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA GERDESIANA.